DISSERTATIO
CRITICO - SCRIPTURISTICA
DE
MAGIA
DIABOLICA,
ET
MAGORUM
PRODIGIIS
Exod. 7. coram Pharaone patratis.

UNA CUM

CONCLUSIONIBUS
EX
UTROQUE TESTAMENTO DESUMPTIS,
QUAS

PRÆSIDE

P. ALEXIO M. PLANCH ORD. SERVORUM B. V. M.
S. SCRIPTURÆ LECTORE ORDINARIO, & A. R. S.

IN

Archiducali Conventu ad S. Josephum Oeniponti
defendendas susceperе

P. P. CHRYSOSTOMUS M. ENNEMOSER, ET JOAN. EVANG.
M. PÜCHLER ejusdem Ordinis & Studii.

Anno MDCCLXVII. Mense Februario.

PERMISSU SUPERIORUM.
Litteris Wagnerianis.

A. 7092.

Sirenum Cantus, & Circes pocula noſti.

Horat. lib. 1. *epiſt. ad Lollium.*

SUB

GRATIOSISSIMIS AUSPICIIS

CELSISSIMI AC REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

CHRISTOPHORI

EPISCOPI

AC

S. R. I. PRINCIPIS

TRIDENTINI,

MARCHIONIS

CASTELLARII,

DOMINI DOMINI CLEMENTISSIMI &c. &c.

CELSISSIME

PRINCEPS,

DOMINE DOMINE

EPISCOPE

CLEMENTISSIME &c. &c.

Vix quatuor abhinc anni effluxere, cum AUGUSTISSIMA IMPERATRIX NOSTRA MARIA THERESIA divino magis, quam humano consilio Scripturam sacram non in publicis solum sublimiorum scientiarum emporiis, sed in privatis quoque Religiosorum Domiciliis prælegi imperabat. Superiores mei (pro ea, quæ TANTÆ PRINCIPI debetur reverentia) nihil habuere antiquius, quam ut Augustissimis Imperiis obtemperarent. Sed, quæso, quæ mea extitit admiratio, cum

sacra

ſacra Superiorum juſſa me altiſſimæ huic cathedræ admotum cupiebant! gaudebam equidem ex una parte, quod ſors iſta ſuper me cecideriſt (*a*); dolebam autem vehementiſſime ex parte altera, eoquod propria noſſem experientia me nimium quantum diſtare ab illo, qui teſte Apoſtolo jam ab infantia ſacras litteras didicit (*b*). Putabam inſonare auribus meis illas Philippi Diaconi Eunuchum Reginæ Candacis alloquentis voces (*c*): *Putasne, intelligis, quæ legis?* videbar mihi cum eodem Eunucho reſpondere: *Quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi* (*d*)? Exclamare cogebar cum Auguſtino ad Januarium (*e*): *Tantum abſum ab eo, quod putaſti, nihil me latere, ut nihil in Epiſtola tua legerim triſtius, quia & apertiſſime falſum eſt. Et miror, quia hoc te latet, quod non ſolum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, ſed etiam in ipſis ſanctis ſcri-*

(*a*) Act. 1. v. 26.
(*b*) 2. Tim. 3. v. 15.
(*c*) Act. 8. v. 30.
(*d*) Act. 8. v. 31.
(*e*) Epiſt. 119. ad Januar.

pturis multo neſciam plura, quam ſciam. His tamen inſuper habitis duce obedientia, quantum poteram, laborabam, & inter millenas denique difficultates primum hunc ſacræ Scripturæ curſum ad optatum finem perduxi, quamvis vel invitus fateri compellar, me de illorum numero eſſe, qui teſte Hieronymo (*f*): *Ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam Scripturam trahere repugnantem.*

In tanta rerum caligine, in tanta intellectus cæcitate verſatus ſæpius cum Propheta Regio ſuſpirabam (*g*): *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum.* Et en! vel ad ſolam REVERENDISSIMI NOMINIS TUI memoriam tenebræ omnes *tanquam ſquamæ ab oculis cecidere* (*h*). Nec mirum: Te enim CELSISSIME PRINCEPS *Spiritus Sanctus* illam *regere Eccleſiam poſuit* (*i*), quæ

(*f*) Tom. 3. in epiſt. ad Paulin.
(*g*) Pſalm. 118.
(*h*) Act. 9. v. 18.
(*i*) Act. 20. v. 28.

quæ duobus abhinc ſæculis contra Novatores detonuit, ſacras litteras a Sectariis male intellectas explicuit, corruptas priſtino nitori reſtituit. Unde *formam habes ſanorum verborum, quæ audiſti in fide, & bonum cuſtodis depoſitum per Spiritum ſanctum* (*k*).

Patere igitur, CELSISSIME PRINCEPS, ut meas ſacrarum litterarum Primitias CELSISSIMO TUO NOMINI inſcribam, & patieris etiam (*l*), *ſectaris enim juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem*, quarum Virtutum ſeriem elapſo abhinc anno in Te uno omnes ſuſpeximus, cum in noſtro monaſterio diebus paucis (utinam annis plurimis) habitare dignabaris. Hic certe Majeſtatem dignam Principe cum tanta modeſtia temperabas, ut vel ſolus Tui intuitus omnes ad reverentiam cogeret, ſuaviſſima autem converſatio Tua humilitate pleniſſima ſingulos neceſſaria

qua-

(*k*) 2. Tim. 1. v. 13. & 14. (*l*) 1. Tim. 6. v. 11.

quadam vi ad amorem pelliceret (*m*): nempe *paſcis, qui in* Te *eſt gregem Dei non ut Dominans in Clero, ſed forma factus gregis ex animo.* Felices ſane Oviculas, quæ a tanto Paſtore ducuntur ad paſcua, fortunatum Conventum Weiſſenſteinenſem, pro cujus ſalute vigilat tantus Paſtor inter curas amore pleniſſimas. Parco modeſtiæ Tuæ, quam non verbis tantum & factis, ſed ſcriptis etiam demonſtraſti. O ſi ad omnium manus illa perveniret Epiſtola, quam ad me ſervorum Tuorum minimum exarare dignatus es! Nimia humilitas Tua, quæ e ſingulis ejusdem lineis eluceſcit, audaciorem & prope temerarium me effecit.

Accedo igitur (id enim conceſſit Benignitas Tua) accedo ad thronum CELSITUDINIS TUÆ, & in genua provolutus tenue Opuſculum offero, tenue & foliorum paucitate,

&

(*m*) 1. Pet. 5. v. 2. & 3.

& ſcribentis eruditione, & materiæ indignitate. Non equidem me latet plurimas in ſcripturis eſſe materias, quæ eruditum ſibi calamum poſcant; ſed cum ea modo vivamus tempora, in quibus inſurgunt (*n*) *homines, qui ſanam doctrinam non ſuſtinent, ſed ad ſua deſideria coacervant ſibi magiſtros prurientes auribus, & a veritate auditum avertunt*, ſic illam potiſſimum materiam eligere ſtatui, quæ modernorum Criſi omnium maxime ſubjacet. Prodigia quidem Magorum (*o*) coram Pharaone patrata maxima SS. PP. ingenia quam diutiſſime vexabant, ut vero mea de illis ſententia magis clareſceret, primam de Magia diabolica Diſſertationis partem præmittendam eſſe cenſebam, de qua ſane nonnulli liberius, quam verius ſentire videntur. Prodeat igitur hoc opuſculum ſub GRATIOSISSIMIS TUIS AUSPICIIS, PRINCEPS CELSISSIME, & dum Epiſcopali e throno veritatis defenſor es,

)( )(etiam

(*n*) 2. Tim. 4. v. 3. & 4. (*o*) Exod. 7.

etiam opuſculi mei tutelam Clementiſſime ſuſcipe, & me unacum Superioribus meis ac Conventu Weiſſenſteinenſi, cujus CLEMENTISSIMUS ES ORDINARIUS, & præcipuus Imaginis Thaumaturgæ Cultor, uti & Defendentibus tanquam ſervos Tuos devotiſſimos protegere non dedignare, qui coram throno Tuo de genu ſupplices perennant ſemper Tui

Præſes
&
Defendentes.

Approbatio A. R. P. Vicarii Generalis.

Ut erudita hæc *de Magia diabolica, & Magorum Prodigiis coram Pharaone patratis* Dissertatio a duobus Ordinis nostri Theologis revisa, & approbata typis evulgari possit, eam, quam ex Officio possum, facultatem concedo in Conventu nostro ad S. Josephum Oeniponti die 6ta Februarii anno 1767.

P. F. ZACHARIAS MARIA
RATHGEB Ord. Servorum
B. M. V. SS. Theol. Lector,
& Concion. Definit. perpet.
ac p. t. per Prov. Tyrolens.
Vicarius Generalis mppria.

PROE-

PROEMIUM.

Non cogitabam equidem, utpote gravioribus ſtudiis occupatus Diſſertationem quandam juris publici facere, nam labores ſcripturiſtici, ut cuivis intelligenti conjicere pronum eſt, horas etiam ſubciſivas mihi quamvis invito eripuere. Nolebam tamen ex parte altera Curſum hunc in Scripturis explicandis exantlatum indigno quaſi ſilentio præterire. Cogitabam primum hoc inter noſtros ex univerſa Scriptura certamen eſſe, quod ne tenui quidem lucubratiuncula exornare minime conveniret. Cum igitur mecum ipſo diutius deliberarem, nec quid agendum eſſet, ſufficienter decernerem, Magorum mihi incidebant prodigia Exod. 7. coram Pharaone patrata. Et ecce! alliciebat illico & materiæ dignitas, & eruditionis ubertas, & denique diſſerendi amœnitas. Antequam tamen ad ſcopum hunc pervenire me poſſe crederem, omnino neceſſarium duxi de Magia diabolica quædam præmittere. Duos enim inter ſcopulos me verſari conſpicio: ſunt ſiquidem ipſo Calmeto teſte (*) Authores, qui rejiciunt omnia, ſunt pariter, qui omnia credunt; unde & iſtorum credulitas, & nimia aliorum laxitas Viro prudenti vitanda eſt. Ut autem ſecuriori pede incederem, in duas partes Diſſertationem hanc diſpeſcere placuit. Prima Recentiorum quorundam omnes Magiæ diabolicæ vires negantium ſyſtema proponet cum omnibus iis, quæ contra id facere poſſe cognovi. Objectum alterius Magorum erunt prodigia coram Pharaone patrata. Tu Lector benevole laborem hunc meum æqui, bonique conſule, & errores meos diſſimula, nam emendaturus, ſi licuiſſet, eram.

PARS

(*) Tom. 1. Diſſert. de veris, fictisque Prodigiis.

PARS PRIMA.

De Syſtemate quorundam Recentiorum de inefficacia Magiæ diabolicæ, & Momentis illi contrariis.

ARTICULUS I.

Recenſetur Sententia Recentiorum de Invaliditate Magiæ diabolicæ.

Ut debito rerum ordine procedamus, non diffitentur eruditiſſimi Viri exiſtere homines, qui derelicto Deo dæmonis caſtra ſequuntur, ejusque auxilio mira quædam patrare conantur, omnem tamen ipſorum conatum duntaxat ſterilem, & optato fructu carentem exiſtimant. Sicut enim quidam ſe ſomniorum interpretes eſſe, & ex avium volatu, vel ſyderum motu arcana quædam divinare ſe poſſe jactabant,

quin tamen ipſorum verbis quidquam veritatis inhæſerit, ita pariter de Magorum operibus diſcurrendum eſſe pronuntiant.

Eſt autem Magia vel expreſſum vel tacitum cum Dæmone Pactum, vi cujus ipſi transſcribitur anima iis tamen conditionibus, ut ſaga certis diebus, horisque omni voluptatum genere perfundatur, & ab ipſo Diabolo in hirci, vel alterius animantis ſpecie ad conſtitutum ab ipſo locum transferatur, ibique in aliorum hujus furfuris hominum ſocietate nefanda libidine diffluat, ut in detrimentum Provinciæ, vel civium excitare tempeſtates, & grandines, evocare e cœlo fulmina, fulguraque poſſit, ut infantes faſcinare, aliorum pecora infirmare, quin etiam in innocentum corpora integras dæmonum legiones poſſit intrudere.

Incipiamus jam ponderare hæc omnia: in primis Pactum cum dæmone nullum eſt, ridiculumque. Vel enim (arguunt eruditi Authores) ad ſolam invocationem ſagæ ſponte libera ſe ſiſtit diabolus? vel ſaga ipſa per operationes magicas dæmonem ad præſentiam cogit? Nec primum, nec ſecundum ad rectæ rationis apicem dicitur. Certe ſecundum quod attinet, apud omnes Philoſophos certum eſt, quod inter magica verba, circulos, aliaque ſigna corporea, & inter diabolum, qui merus eſt ſpiritus ſit nulla proportio, quomodo ergo cogi poſſit ab homine, ut ad ipſius nutum compareat? ut taceam de tam ſuperbo ſpiritu exiſtimari haud poſſe, quod vetulæ alicujus imperio ſubditus illico & cæca quaſi obedientia ductus appareat.

Sed nec primum ſubſiſtit: dæmon ſiquidem damnatus & reprobatus eſt ſpiritus, viſibili cum hominibus conſortio caret, nec in ipſius eſt poteſtate pro libitu corpus aſſumere, & in aſſumto ſic corpore ſociari hominibus, hæc enim potentia (ſi Patribus fides) ipſi jam dudum ademta eſt. *Cum apparuerit Dei Verbum* (verba ſunt Athanaſii) *ſpectra hujusmodi, & ludibria imaginum ceſſavere (a).* Imo ſi eſſet in libertate dæmonis poſitum ad invocationem ſagæ illico corpus aſſumere, & ſub viſibili ſpecie cum ſaga verſari, quæſo, quis noſtrum & hominum, & dæmonum declinare poſſet inſidias? præſertim cum maledictus hic ſpiritus nil deſideret amplius, quam

(a) De incarnat. Verb.

quam nocere hominibus. Certe aliter modo ſentit Europa (paucas ad Septentrionem Provincias velim excipias) melius de veritate edocta. Hæc enim viſibilem ejusmodi converſationem dæmonis ridet, imo ipſa Magorum experientia riſibilem probat: infelices enim hi homines vel inviti fatentur, ſe invocato dæmonis perſæpe auxilio ſemper ab ipſo fuiſſe deſertos.

Nec ſubſiſtit tacitum Pactum cum dæmone, vi cujus ſine viſibili illius præſentia per uſum hujus vel alterius rei mira patrentur. Vel enim res iſtæ ex natura ſua vim habent, & efficaciam ad deſtinatos effectus? & nemo prodigium ope dæmonis dixerit, vel non habent ejusmodi vires? & tunc ſine vero miraculo ſimilia fieri non poſſunt. Solius enim Omnipotentis eſt naturas rerum invertere, & conſuetum naturæ curſum mutare.

Reſponſionem oppoſitæ ſententiæ, quod permittente Deo id fiat, Manichæiſmi accuſant. Duplici ad id aſſerendum fundamento moventur, quorum primum ſana ratio, alterum ſacræ ſcripturæ, & traditionis authoritas abunde ſuppeditat: vel enim divinis perfectionibus, ac præcipue bonitati repugnat, ut Deus pravis deſideriis ſagæ, & turpibus voluptatibus moveatur, ut reprobo ſpiritui concedat potentiam creaturis dominandi divina ſolum poteſtate productis, iisque abutendi pro libitu, idque ad voluntatem peſſimi hominis, vel omnino dicendum eſt, quod & Manichæi dixere: nempe duos dari Deos, unum bonum, alterum malum. Scriptura vero, Patresque unanimiter docent per Salvatoris adventum diabolo jam infirmo & in inferis captivo ſpiritui omnem ſimilem poteſtatem fuiſſe ademtam.

Pergunt dein ſpecialia ſagarum opera examinare, earumque phyſicas translationes per dæmonem, ac inprimis unguentum, quo ſolent ungere corpora, ut ad deſtinata loca ferantur, irrident, ajuntque omnes ſpecies ad id requiſitas conciliando tantum ſomno eſſe idoneas, unde perturbata phantaſia vetulæ firmiſſime credunt ſe alio fuiſſe translatas, ubi tamen eodem morabantur in loco. Ad hiſtorias dein varias a Viris fide dignis relatas appellant, e quibus elucet mulieres ejusmodi vel in lectis, vel ad feneſtras inventas fuiſſe.

Urgent concluſionem ſuam ex jure Canonico citantes c. 26, quæſt. 5, c. 12 his verbis: *Illud etiam non eſt omittendum, quod quædam ſceleratæ mulieres retro poſt Sathanam converſæ dæmonum illuſionibus & phantaſmatibus ſeductæ credunt, & profitentur ſe nocturnis horis cum Diana Dea paganorum vel cum Herodiade & innumera multitudine mulierum equitare ſuper quasdam beſtias, & multarum terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire, ejusque juſſionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus ſervitium evocari, ſed utinam hæ ſolæ in perfidia periiſſent, & non multos ſecum ad infidelitatis interitum pertraxiſſent, nam innumera multitudo hac falſa opinione decepta hæc vera eſſe credunt, & credendo a recta fide deviant, & errore paganorum involvuntur, cum aliquid divinitatis aut Numinis extra unum Deum arbitrantur. Quapropter Sacerdotes per Eccleſias ſibi commiſſas populo Dei omni inſtantia prædicare debent, ut noverint hæc omnino falſa eſſe, & non a divino, ſed a maligno ſpiritu talia phantaſmata mentibus fidelium irrogari.*

A Jure Canonico ad Philoſophiam feſtinant, & ex legibus gravitatis oſtendunt ſagas non tantum non transferri a dæmone, ſed transferri nec poſſe. Ad minus enim ducenties humani corporis gravitas aeris gravitatem transſcendit, unde neceſſario ſequitur, dæmonem vel humano corpori debere gravitatem adimere, vel gravitatem aeris ſecundum proportionem augere, neutrum ſine manifeſto fieri poteſt miraculo.

Poſtea ad fulmina tranſeunt, & grandines ad ventos, & pluvias, quæ ſagarum ope pronuntiatis tantummodo non ſine murmure verbis iisque non ſat intelligibilibus ad contactum etiam lutei vaſis produci dicuntur. Pro! miſeram (exclamant) & cogitationem homine Chriſtiano indignam! ergo Deum leges naturæ credamus infringere, ut peſſima mulier vindictam exercere in proximum, ejusque agros, & fructus agrorum poſſit demetere? ergo recta ratione ſepoſita naturam, ejusque authorem inveteratæ mulieris malitiæ cupimus eſſe ſubjectum? nonne hæc infinitæ bonitati divinæ, nonne inexhauſtæ ſapientiæ Dei manifeſte repugnant?

Eccleſia ipſa infelix hoc operatricis Magiæ ſyſtema evertit, quamvis enim ad quoslibet caſus certas deſtinaverit preces in ritualibus vel liturgiis expreſſas, nullas tamen contra ſagarum opera

ſtatu-

ſtatutas inveniunt, & licet pro avertendis fulminibus & tempeſtatibus aeris fundatur oratio, nulla tamen deprehenditur mentio, quod ſimiles caſus a ſagarum poteſtate proveniant, & quidem meritiſſimo jure, ſiquidem omnibus conſtat & ſingulis hasce tempeſtates & fulmina opus eſſe naturæ, nihilque aliud eſſe, quam vapores terræ per ſolem attractos, qui dein in aere ad grandines & pluvias & tonitrua præparantur.

Ulterius ſimplicitatem infimæ gentis exagitant, quæ plerosque caſus ſagarum importunitati adſcribit: ſi quis fortaſſe infans elumbis eſt, ſi ruſticus manibus, pedibusque contractus, ſi famulus rectæ rationis uſu privatus, ſagarum id opus eſt. Si pecus infirmum eſt, ſi macilentia ingruit, ſi vaccæ lactis loco ſanguinem præbent, verbo, ſi quodcunque demum corpus morbo laborat, quem vel Medicus, vel faber ferrarius, vel carnifex ſanare non poteſt, diabolicæ arti adſcribitur, ſed fruſtra.

Quid enim, quæſo, facilius, quam ut ancilla incauta infantem labi ſinat e manibus, & ne verba heri aſpera experiatur vel verbera, lapſum infantis reticeat? quo fit, ut infans fiat elumbis, & membra, ſic ab initio ſtatim neglecta omnino areſcant. Idem poteſt dici de pecore, id enim conſtitutum in paſcuis venenatum quid comedit, lac evaneſcit, vel mutatur in ſanguinem, infirmatur, moritur, quis propterea ſagas accuſet?

Cenſent eruditi Authores, ſi tot ſagarum non narrarentur hiſtoriæ, ſi non in quovis extraordinario caſu Sacerdotum benedictiones accederent, ſi ſagarum fumus negligeretur, nec amuleta appenderentur in vanum, brevi negligendam fore diabolicam artem, nec ſagarum miniſterio adſcriptum iri hos caſus. Certe ſi ſpiritualia pellendis his morbis conducerent, ſolicita Mater Eccleſia de his mediis providiſſet, ubi e diametro experimur contrarium, ubi orationes ſimiles, & amuleta ex circulo aureo aliisque depromta Authoribus ab Eccleſia eſſe rejecta & reprobata cognoſcimus.

Si quis ſubinde caſum contingere aſſerat, quem Viri etiam prudentiſſimi naturæ negant poſſe adſcribi, ajunt hos præjudiciis eſu obſeſſos, & certe ſuam mutaturos ſententiam, ſi modernorum opera legerent.

Tandem ajunt, impoſſibile eſſe, ut eousque ſagarum ſe extendat potentia, ut malignos ſpiritus in proximi corpus poſſint intrudere, quamvis enim & veteris & novi teſtamenti paginæ energumenorum hiſtoriis plenæ ſint, nullibi tamen aſſeritur ſagarum ope immiſſos eſſe diabolos, imo id fidem omnem transſcendere. Vel enim ſaga ex ſpeciali permiſſione divina id faceret? & id vel cogitare blaſphemum eſt, cum Deus ad magicas artes cooperator exiſteret, vel Deus ad voluntatem impiam ſagæ reprobo concedit ſpiritui, ut in humano corpore habitet? & ſic permiſſiones divinæ pravis ſagarum cupiditatibus eſſent ſubjectæ, quod dictu horrendum eſt.

Ex Bodino lib. 2, c. 3 hiſtoriam afferunt, quod ſub Paulo 4to Pontifice ingens energumenorum numerus Romæ extiterit; exorciſta facile credulus referebat Pontifici ex obſeſſis dæmones reſpondiſſe corporibus ſe a Judæis in hæc corpora fuiſſe intruſos. Indignatus Pontifex Judæos omnes urbe ejectos voluit, ſed poſtquam Religioſus quisquam eleganti ſermone oſtenderat rectæ rationi eſſe contrarium, ut homo quispiam diabolum in corpus alterius poſſit intrudere, mutata ſententia eſt, unde Muratorius: Mirabile eſt, inquit, quod in iis Provinciis, ubi exorciſtæ non ſunt, nec energumeni ſint. Hoc (ni vehementer fallar) modernorum ſyſtema eſt, ad quod fuſius examinandum accingor.

ARTICULUS II.

Quid, & quotuplex ſit Magia?

Ut autem ſuo res ordine poſſit procedere, ſciendum inprimis eſt, Magiam nil aliud eſſe, quam artem, vi cujus mira patrantur: *Mira* autem dico, non vero *Miracula:* Miraculum ſiquidem totius naturæ vires tranſcendit, nec fieri poteſt niſi ab illo, qui naturæ leges a ſe ſancitas in caſu particulari infringere, & pro ſuæ Omnipotentiæ viribus agere poteſt. Non ergo illa cenſenda ſunt eſſe miracula, quæ homines paſſim mirantur, ſic enim omnia eſſent miraculis plena, præſertim ubi moderna Philoſophia iis experimentis inſtructa eſt, quæ homines non ſolum rudes, ſed etiam

doctos

doctos obſtupeſcere faciunt. Certe pnevmatica Antlia, electrica machina, virtus magnetica ſunt legibus naturæ conformia; vix tamen ullus exiſtet, qui ſpectando curioſos effectus illos mirari non ſoleat. Hi vero a Magia naturali procedunt non tantum nequaquam illicita, ſed & ſumme laudabili; quæ vero dæmonis ope patrantur invocato illius auxilio, a diabolica Magia deſcendunt, quam omnia jura condemnant, imo vero ferro plectunt, & igne. Non eſt, quod in varias Magiæ diabolicæ ſpecies curioſus inquiram, hæ ſiquidem in quovis Theologo de Religionis virtute tractante, imo & per Diſſertationis decurſum ſufficienter clareſcent.

A Magia igitur & Magi dicuntur. Eſt autem *Magus* vox juxta quosdam hebraica, juxta alios Perſica, nec in ethymologia nominis quidquam mali involvit. Vel *meditans* enim, vel *ſilens* vertitur, utrumque autem Philoſophorum eſt. Meditantur ſiquidem, quando in rerum naturalium ordinem, præcipue in admirabilem ſyderum curſum inquirunt. Silent vero, ut eo attentius ſpeculari, & ſcientiis naturalibus poſſint incumbere. Si igitur ad latinam linguam velimus attendere, *Magus* idem erit ac *Sapiens* apud Romanos, apud Græcos *Philoſophus*, *Scriba* apud Judæos, *Propheta* apud Ægyptios, *Druida* apud Gallos, *Chaldæus* apud Aſſyrios, apud Indos *Gymnoſophiſta*. Modernis vero temporibus plerumque obtinuit, ut Magorum nomen in ſiniſtram tantummodo partem accipi ſoleat.

Si Magiæ diabolicæ antiquitatem indagare velimus, ne ſolidis quidem conjecturis aſſequi poſſumus. Caſſianus illius cunas jam ante-diluvianas exiſtimat (*b*), cum enim poſteri Seth, qui ob pietatem paternam & propriam filii Dei dicebantur, a primævo fervore deſciſcerent, ac filiarum Cain ſpecioſa forma decepti cum illis inirent connubia, ad magicas artes & maleficia dæmone inſtigante converſi ſunt. Poſt diluvium ortam eſſe Magiam alii cōnantur defendere, imo e maledictis his artibus idololatriam promanaſſe contendunt, inter quos eſt Magnus Baſilius in Prophetam Iſaiam (*c*) commentans. Epiphanius autem Magiæ Authorem Zoroaſtrem exiſti-

(*b*) Bibl. PP. tom. 5, p. 2, Coll. 8, c. 21.
(*c*) in C. 2. Iſaiæ.

exiſtimat Nemrodo fere coævum (*d*). Sed incerta Zoroaſtris eſt ætas, imo & incerta ſunt illa, quæ de Zoroaſtre narrantur. Alii cum Chamo Noemi filio, alii cum Abrahamo, alii omnino cum Moſe confundunt, quod idem prætendit Daniel Huetius Galliæ clariſſimum ſydus (*e*). Sed non eſt, ut his diutius immoremur: ad ſcopum ſiquidem noſtrum abunde jam ſufficit, ſi Magiam diabolicam non otioſam, ſed practicam fuiſſe, vel ſaltem eſſe ſic poſſe probare conabimur.

ARTICULUS III.

De Senſu Poetarum gentilium de Magia diabolica.

Nec eſt, ut e longinquo argumenta petantur, Poetarum ſiquidem Princeps Virgilius plura ſuppeditat, cum enim Æneæ in latium iter deſcriberet, ita Circes veneficia eleganter cecinit (*f*):

Proxima Circeæ raduntur littora terræ,
Dives inacceſſos ubi ſolis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu, tectisque ſuperbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum:
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum.
Setigerique ſues, atque in præſepibus urſi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum,
Quos hominum ex facie Dea ſæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum.

Hæc omnia, ſi meras illuſiones dixeris, aliud exemplum adduco: Juno ſiquidem Æneæ invidens ut illius iter in latium, ſi impedire non poſſet, ſaltem vix tolerandum redderet, ipſam ex inferis furiam Alecto advocat, cujus vires, magnamque potentiam ita Poeta noſter expreſſit (*g*): Hæc

(*d*) contra Hæreſ. fere ab initio. (*e*) Dem. Evang. propoſ. 4, c. 5.
(*f*) Lib. 7. Æneid. (*g*) Lib. 7. Æneid.

Hæc ubi dicta dedit, terras horrenda petivit
Luctificam Alecto dirarum ab ſede ſororum
Infernisque ciet tenebris, cui triſtia bella
Iræque, inſidiæque, & crimina noxia cordi.
Odit & ipſe Pater Pluton, odere ſorores
Tartareæ monſtrum, tot pullulat atra colubris
Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur.
Hunc mihi da proprium Virgo ſata nocte laborem
Hanc operam, ne noſter honos, infractave cedat
Fama loco, neu Connubiis ambire latinum
Æneadæ poſſint, Italosque obſidere fines.
Tu potes unanimes armare in prælia fratres
Atque odiis verſare domos, tu verbera tectis
Funerasque inferre faces, tibi nomina mille
Mille nocendi arces: fœcundum concute pectus,
Disjice compoſitam pacem, ſere crimina belli,
Arma velit, poſcatque ſimul, rapiatque juventus.

Hanc virtutem, qui ſterilem dixerit, enimvero decipitur.

Tertium ſuperaddo, quod idem Virgilius ſuggerit ita Didonem ſorori Annæ colloquentem inducens (*h*):

Hinc mihi Maſſylæ gentis monſtrata Sacerdos
Heſperidum templi cuſtos, epulasque draconi
Quæ dabat, & ſacros ſervabat in arbore ramos.
Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes
Quas velit, aſt aliis duras immittere curas:
Siſtere aquam fluviis, & vertere ſydera retro
Nocturnosque ciet manes, mugire videbis
Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos,
Teſtor, chara, Deos, & te Germane, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.

Nec, puto, Magiam hanc jure quis otioſam dixerit.

Ovidius non inferiora ſecutus Magiam tam in amore conciliando, quam aliis præſtandis effectibus maximopere efficacem

(*h*) Lib. 4. Æneid.

agnoſcit, dum Medeæ veneficia ita per Hypſipilen deceptam a Jaſone deſcribit (*i*):

Nec facie meritisve placet, ſed carmine movit
Diraque cantata pabula falce metit.
Illa reluctantem curſu deducere lunam
Nititur, & tenebris abdere ſolis equos.
Illa refrænat aquas, obliquaque flumina ſiſtit,
Illa loco ſylvas, vivaque ſaxa movet.
Per tumulos errat paſſis diſcincta capillis
Certaque de tepidis colligit oſſa rogis
Devovet abſentes, ſimulacraque Cerea figit
Et miſerum tenues in jecur urget acus.

Ipſa Medea etiam Jaſoni ſcribit, ſe injuriam ſibi illatam brevi ulturam eſſe, ni repudiata Creuſa ipſam denuo in uxorem ſuſciperet, verba apud eundem Ovidium iſta ſunt (*k*):

Dum ferrum, flammæque aderunt, ſuccusque veneni
Hoſtis Medeæ nullus inultus erit.

Prætereo ex eodem Poeta, quod Orpheus certiſſime Magus Eurydicen uxorem ſuam reduxiſſet ad vitam, ni curioſitas propria obſtitiſſet (*l*). Tanta inſuper erat Orpheanæ lyræ efficacia, ut pene omne ferarum genus, imo & arborum alliceret (*m*).

Novis ſubin ſponſis maleficia poſſe accidere Catullus agnovit, dum ita novam nuptam alloquitur (*n*):

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes
Raſilemque ſubi forem.

In quæ verba ita Conſtantius Landus (*): *Veroſimilius fuiſſe videtur Catullum hoc dixiſſe propter artem magicam, unde Virgilius in pharmaceutria:*

Quæ nunc ego limine in ipſo
Terra tibi mando, debent hæc pignora Daphnin.

Siqui-

(*i*) in epiſt. Heroid.
(*k*) in epiſt. Heroid.
(*l*) Lib. 10. Metamorphoſ. fab. 2.
(*m*) l. c. fab. 3.
(*n*) in nuptias Juliæ & Manilii.
(*) l. c.

Siquidem multa maleficia videmus quotidie fieri in novis ſponſis, ut etiam propter hosce incantatores novus maritus cum nova nupta coire nequeat.

Quid poſſit mulier magicis artibus dedita, ita deſcribit Propertius (*o*):

Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum
Et volucris nidis eſſe noverca ſuis.
Quippe & collinas ad foſſam moverit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua.
Audax cantatæ leges imponere lunæ,
Et ſua nocturno fallere terga lupo,
Poſſit & intentos aſtu cæcare maritos,
Cornicum immeritas eruit ungue genas.
Conſuluitque ſtryges noſtro de ſanguine, & in me
Hippomanes fætæ ſemina legit equæ.

Artibus magicis amorem conciliari poſſe idem Poeta perſuaſus erat, unde & ſimilium veneficarum auxilium implorare non dubitat (*p*).

At vos deductæ quibus eſt fallacia lunæ
Et labor in magicis ſacra piare focis.
En! agedum dominæ mentem convertite noſtræ
Et facite illa meo palleat ore magis.

Poteſtatem magicam vetulis potiſſimum Tibullus tribuit (*q*):

Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris
Cantus & iratæ detinet anguis iter.

Fuſius ſagarum opera idem Tibullus deſcribit (*r*):

Hanc ego de cœlo ducentem ſydera vidi
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter
Hæc cantu finditque ſolum, manesque ſepulchris
Elicit, & tepido devocat oſſa rogo.
Jam ciet infernas magico ſtridore catervas
Jam jubet aſperſas lacte referre pedem,

(*o*) Lib. 4. eleg. 5.
(*p*) Lib. 1. eleg. 1.
(*q*) Lib. 1. eleg. 1.
(*r*) Lib. 1. eleg. 2.

Cum lubet, hæc triſti depellit nubila cœlo
Cum lubet, æſtivo convocat orbe nives.

Putat ergo hic Author etiam artibus magicis excitari tempeſtates poſſe. Nec alia mens fuit Horatio, plurimam ſiquidem virtutem veneficiis tribuit (*s*):

Quæ ſaga, quis te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus?

Ubi notes velim Theſſalos in arte magica quondam omnium maxime fuiſſe infames. Idem de periculo Ulyſſis in mari exantlatis ita canit:

Sirenum voces, & Circes pocula noſti,
Quæ, ſi cum ſociis, ſtultus, cupidusque bibiſſet,
Sub domino meretrice fuiſſet turpis & excors,
Vixiſſet canis immundus vel amica luto ſus.

Taceo Juvenalem, Perſium, Lucretium, Claudianum, Lucanum, & alios, ut adeo nullus ſit dubio locus Poetas gentilium pro Magia vel maxime practica ſtetiſſe.

ARTICULUS IV.

De Senſu aliorum Scriptorum gentilium.

Si Poetarum mentem ad meras fabulas ablegare contendas, non ex toto repugno, nec enim a Poetis veritatem, ſed unanimem duntaxat illorum ſenſum haurire ſtudebam; quod tamen Poetæ non omnino a veritate abluſerint, aliorum Gentilium ſenſa oſtendunt. Pomponius Mela ſcriptor ſatis antiquus ita de quibusdam in Gallia fœminis (*t*), quas *Gallicenas vocant, putantque ingeniis ſingularibus præditas maria ac ventos concitare carminibus, ſeque, in quæ velint animalia vertere, ſanare, quæ apud alios inſanabilia ſunt.* Plinius, quamvis artis magicæ uſum ſummopere deteſtetur, ſemper tamen viguiſſe affirmat (*u*), ita quidem, *ut in magna gentium parte præ-*

(*s*) Lib. 1. Ode. 27.
(*t*) de Situ orbis lib. 3.
(*u*) Lib. 30. c. 1.

prævaleat, & in Oriente Regum Regibus imperet. Qui magis curioſus eſt, authorem hunc totum evolvat, & tam herbas quam lapides magicos leget cum miris eorum effectibus, uti & veneficiorum remedia. Imo non tantum plebejos, ſed & ſummos Reipublicæ Principes in Occidente diabolica hæc peſtis afflavit. De Nerone ſiquidem ita Suetonius (*x*): *Quin & facto per Magos ſacro evocare manes & exorare tentavit.* Mirabilem de annulo magico recenſet hiſtoriam divinus Plato de Gyge Lydi Parente (*y*): *Fuiſſe ipſum ferunt mercenarium paſtorem ejus, qui tunc Lydis imperabat. Magna autem imbrium tempeſtate exorta, motaque terra ferunt terram hiatum feciſſe in ea regione, ubi ille armenta paſcebat, quæ cum vidiſſet, mirabundus in hiatum deſcendit, conſpexitque & alia, quæ fabulantur miranda, & equum æneum concavum, & per feneſtram cadaver in alvo equi animadvertit majus quidem humana forma. Hoc nihil habebat aliud præter aureum digito annulum, quo ſublato abiit, ac paulo poſt ad paſtoralem pervenit conventum, in quo legatus de rebus peculii ad Regem per ſingulos menſes referendis creandus erat, juxtaque alios aſſedit. Acciditque, ut cum forte gemmam introrſum ad manum verteret annuli, quem a cadavere arripuerat, ſubito a nullo conſpiceretur, aliique de illo tanquam abſente loquerentur. Admiratus ergo gemmam rurſus extrorſum convertit, quo facto rurſus apparuit. Hoc ille animadvertens diligentius periculum fecit, utrum hanc annulus vim haberet, atque ita illi compertum fuit, quod verſa ad ſe gemma a nemine videretur, verſa autem ad alios conſpicuus fieret. Quod quidem expertus curavit, ut legatus ad Regem unacum aliis mitteretur, profectusque uxorem ejus ſtupravit, & de Rege interficiendo cum ea conſilium iniit, quo cæſo regnum aſſumpſit.* Enimvero hic annulus certe practicus erat.

Perſuaſionem de maleficiis jam ſuo tempore extitiſſe idem Philoſophus aſſerit, quamvis, quo hæc modo contingant, neſcire ſe fateatur, & pro ſua perſona in partem negativam propendeat (*z*): *Bipertito generi humano venena officiunt: primo enim corporibus corpora ſecundum naturam læduntur. Deinde magicis veneficiis, & cantibus, nodisque quibusdam perſuadetur iis quidem, qui officere ſtudent, poſſe id*

 aſſequi,

(*x*) in Nerone.
(*y*) Dial. 2. de Repub.
(*z*) de Leg. Dial. 11.

aſſequi, iis vero facile admodum ab illis veneficio lædi poſſe; hæc vero, cæteraque hujusmodi, quo pacto natura ſe habeant, nec facile ſciri poſſunt, nec ſi quis ſciat, aliis perſuaderi.

Pythagoram clarum inter Philoſophos nomen Magis etiam Plutarchus annumerat ita ſermocinans (*a*): Ille videtur & Aquilam quibusdam vocibus excantans ſuperneque volantem deducens manſuefacere ſolitus, & femur aureum ſuboſtendere, dum in olympiis per celebritatem tranſitum faceret: aliaque monſtroſa ejus inventa renuntiantur, contra quæ ſcripſit Timon Phliaſius (*b*):

Pythagoramque magum flagrantem nomine famæ
Obſerva, blandis aſſuetum fallere verbis.

Numam Pompilium alterum Romanorum Regem his artibus floruiſſe idem Plutarchus enarrat: ut enim taceam furtivos ejus cum Ægeria Dea congreſſus mirabiliora adhuc de illo refert præfatus Author (*c*): *Cum nonnullos Cives Numa ad convivium invitaſſet, vaſaque abjecta, & cœnam admodum vilem, ac plebejam appoſuiſſet, jam illis cœnare incipientibus, ubi ſermonem injeciſſet, quod ea Dea, cui ipſe congrederetur, ad ſe venerit, ſubito domum pretioſis refertam poculis, & menſam omnifariam obſoniis, apparatuque magnifico plenam oſtendiſſe.*

Apulejus, qui & ipſe hac arte infamis erat, cujusdam fœminæ meminit (*d*), quæ magicis artibus dedita homines ad amorem ſolicitare, vel renuentes omnino ſolebat occidere: *Maga primi nominis & omnis carminis ſepulchralis magiſtra creditur, quæ ſurculis & lapillis, & id genus frivolis inhalatis omnem iſtam lucem mundi ſideralis, imis tartari, & in vetuſtum Chaos ſubmergere novit. Nam ſimul quemquam conſpexit ſpecioſæ formæ juvenem, venuſtate ejus capitur, & illico in eum & oculum & animum detorquet, ſerit blanditias, invadit ſpiritum, amoris profundi pedicis æternis alligat. Tunc minus morigeros & viles faſtidiens in ſaxa & in pecora quodvis animal puncto reformat, alios vero prorſus extinguit* (*e*). Plures magicæ artis effectus alibi adſtruit.

Medeam maleficam fuiſſe ex Sophocle oſtendit Macrobius (*): *Medeam deſcribit maleficas herbas ſecantem, ſed averſam, ne vi no-*

xii

(*a*) in Numa. (*b*) l. c. (*c*) l. c. (*d*) Lib. 2. de Aſino aureo.
(*e*) Lib. 1. de Aſino aureo. (*) Lib. 5. Saturn. c. 19.

xii odoris ipſa interficeretur, & ſuccum quidem herbarum in cados æneos refundentem, ipſas autem herbas æneis falcibus execantem. Plures brevitatis cauſa omitto, ut vel inde pateat, quidnam Gentiles unanimi prope conſenſu de Magia ſtatuerint. Sed (inquies) quid affertur cæca gentilitas? Bene habet, certiora ſectemur.

ARTICULUS V.

De Senſu Judæorum de Magia practica.

Quidnam Judæi de artibus Magicis ſenſerint, ipſa Scriptura ſacra nos edocet: in lege ſiquidem data ad Moſem malefici jubentur occidi (*f*): *Maleficos non patieris vivere.* Clarior adhuc prohibitio exſtat in libro Levitici his verbis (*g*): *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos.* Unde veriſſime Origenes (*h*): *Eſſe hanc artem* (magicam intelligit) *deſignat etiam Scriptura, ſed uti ea prohibet. Nam & dæmones Scriptura eſſe deſignat, ſed coli eos & exorari vetat. Recte ergo etiam magica uti prohibet, quia Magorum miniſtri Angeli ſunt refugæ & ſpiritus maligni & dæmonia immunda.*

Nec exempla ſcripturiſtica deſunt, quæ de hac nos veritate convincant, ut enim Magos coram Pharaone reticeam, utpote quorum prodigia altera Diſſertationis parte examinare contendam, inſignem de Balaamo hiſtoriam ſacræ referunt paginæ (*i*). Hic ſiquidem a Balaco Moabitarum Rege vocatus eſt, ut Iſraeliticæ genti imprecaretur peſſima quæque, & ſic electum hunc populum a terra Moab averteret. Sed nempe in contrarium verſa ſunt omnia, pro maledictione ſiquidem benedicere populo Balaamus coactus eſt factus derepente Propheta, & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti prænuntius. Jam vero Balaamum & Magum fuiſſe & in ſua arte non ſterilem idem teſtatur Origenes (*k*): *Hic Balaam famoſiſſimus erat*

(*f*) Exod. 22. v. 18.
(*g*) C. 19. v. 31.
(*h*) Tom. 1. hom. 13. in Num.
(*i*) Num. 22.
(*k*) l. ſ. c.

erat in arte magica, & in carminibus noxiis præpotens. Non enim habebat poteſtatem vel artem ad benedicendum, ſed habebat ad maledicendum. Dæmones enim ad maledicendum invitantur, non ad benedicendum. Et ideo quaſi expertus in talibus in opinione erat omnibus, qui erant in Oriente. Niſi enim experimenta ejus plurima proceſſiſſent, quod frequenter maledictis hoſtem vertiſſet armatum, non utique præſumpſiſſet Rex hoc poſſe fieri ſermonibus, quod ferro & acie vix poſſet impleri. Certus ergo Balach de hoc, & frequenter expertus omiſſis omnibus inſtrumentis & auxiliis bellicis mittit ad eum legatos.

Saul primus Regum in Iſrael omni virium conatu hujus furfuris homines exterminare conatus eſt, unde de ipſo Scriptura (*l*): *Saul abſtulit Magos & Hariolos de terra.* Verum (ut quotidiana eſt hominum inconſtantia) poſtquam ab illo jam receſſerat gratia, in idem ſcelus prolapſus eſt, & mulierem, quæ Pythonem habebat, acceſſit, ab eaque petiit, ut Samuelem ſuſcitaret ab inferis, qui ipſi futura prædiceret; quod & factum eſt, nam Samuel ſeu verus ſeu fictus apparuit, & miſerando Regi & temporale & æternum prædixit exitium. Unde videmus, nequaquam ſterilem hujus fœminæ artem fuiſſe. Si enim ſpectrum diabolicum erat, quod Sauli apparuit, habemus intentum, & clareſcit virtus diabolicæ artis; ſi autem verus Samuel, ut ego defendo, virtute divina apparuit. Nil equidem in Prophetam Magia potuit, caſus hic tamen ſufficienter declarat hanc fœminam in ſuſcitandis mortuis ſæpius fuiſſe verſatam.

Liceat eruditionis gratia de hac Pythoniſſa pauca adnectere. Πυθων eſt græcum vocabulum, & idem ac ſerpentem ſignificat, unde Apollo etiam Pythius dictus eſt teſte Macrobio (*m*), cujus hæc verba ſunt: *Latonæ Apollinem, Dianamque paritura Juno dicitur obſtitiſſe, ſed ubi quandoque partus effuſus eſt, draconem ferunt, qui Πυθων vocitabatur, deorum cunas invaſiſſe, Apollinemque in prima infantia ſagitis belluam confeciſſe.*

Ab eodem ſerpente tandem triumphato etiam Pæanis nomen Apollo tulit, cum enim in pugna cum dracone ſubſiſteret, mater Apollinis & alii, qui intererant prælio: Ie παιαν clamabant, unde

(*l*) Lib. 1. Reg. c. 28. v. 2. (*m*) Lib. 1. Saturn.

unde & de facto in proverbiis est: *Dicite Io Pæan*, quandocunque obtinetur victoria.

Mulier ergo Pythonissa illa dicebatur, quæ serpentis seu maligni spiritus ope prædicebat futura. Hæc a 70 Interpretibus 1. Reg. 28. εγγαστριμυθος seu ventriloqua dicitur, eoquod nempe spiritus malus mulieris corpus ingressus sua inde oracula funderet. Id ipsum ex Josepho (*n*) clarescit, qui, dum istam narrat historiam, tota explicatio similis in margine ponitur. Fusissime contra Celsum id narrat Origenes (*o*), & longum esset ipsius verba adducere. Etiam S. Chrysostomus (*p*) rei tam pudendæ meminisse non dubitat, quamvis lectoris verecundiæ consulat, dum paucis absolvit. Cœlius Rhodiginus (*q*) ejusmodi fœminæ exemplum adducit his verbis: *Id, ne quis ut fabulosum risu excipiat, testatum volumus, tempestate hac, imo vero hæc prodente me fuisse in Patria mea mulierculam humili loco Jocabam nomine, ex cujus ventre immundi spiritus vocem prætenuem quidem, sed tamen, ubi vellet, dearticulatam, & prorsus intelligibilem audivi ipsus, verum & innumeri alii non Rhodigii modo, sed & tota fere Italia.*

Eundem fere in sensum loquitur Bernardus Lamy dicens, nomen hoc Magis tributum, eoquod eorum ventres uteri instar intumescerent, quando fundebant oracula. Et hæc per digressionem dicta sint.

Tertium Scripturæ exemplum Manasses est Regum impientissimus, sed simul pœnitentiæ veræ prototypon. Inter ejus scelera sacer textus & istud commemorat (*r*): *Ariolatus est, & observavit auguria, & fecit Pythones, & aruspices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, & irritaret eum.* Vix ulla igitur erat Magiæ species, qua se Rex sceleſtissimus non polluerat. *Divinationi vero*, scribit eruditissimus Calmet (*s*), *Magiæ, & hujus generis superstitionibus plurimum addictus erat, pessimoque illius exemplo tota externorum vitiorum eluvio in regnum Juda irrupit, ut corrumpendis populis magis Manassis scelera, quam Chananæorum valerent.*

(*n*) Lib. 6. Ant. c. 15.
(*o*) Lib. 7.
(*p*) Tom. 4.
(*q*) Lect. Ant. lib. 8. c. 10.
(*r*) Lib. 4. Reg. c. 21. v. 6.
(*s*) Dict. Bibl. lit. M.

Nec mirari quenquam ſubeat Judaicum populum in hæc vitia fuiſſe prolapſum, cum enim continuo idola coleret, & pro Deo vero per ſummum ſcelus dæmonia adoraret, facile erat aliud cum diabolo commercium quærere. Frequenti ſiquidem fœdere Magia, & Idololatria junguntur.

ARTICULUS VI.

De Senſu primorum Chriſtianorum de Magia practica.

Nec aliter Chriſtiani, quam Judæi ſenſere, nam & novi Teſtamenti adſunt oracula, quæ hanc veritatem ſufficienter reddant perſpicuam. Notius ſiquidem nomen Simonis Magi eſt, quam ut de novo proferatur in medium. De hoc ita Scriptura (*t*): *Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in Civitate Magus ſeducens gentem Samariæ dicens ſe eſſe aliquem magnum, cui auſcultabant omnes a minimo usque ad maximum dicentes: hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna, attendebant autem eum, propter quod multo tempore magicis ſuis dementaſſet eos.* Hic ex Oriente Romam profectus eſt, quam adeo faſcinavit, ut ipſum tanquam Deum agnoſceret, & publica inſuper ſtatua honoraret. Id verbis Juſtini Martyris recenſet Fleurus (*u*): *Qualis fuit Simon Samaritanus ex oppido Gitton, qui ſub imperio Cæſaris Claudii palam véneficus, & dæmonio obſeſſus Romæ in veſtra imperiali urbe pro Deo habitus eſt, & divinis honoribus cultus. Eidem enim ſtatuam in Tiberi inter duos pontes mediam erexiſtis cum inſcriptione latina: Simoni Deo ſancto. Hic* (verbis eruditiſſimi Hiſtorici utor (*x*), *promiſerat ſe in omnium conſpectu avolaturum, & in cœlum aſcenſurum. Jamque re ipſa ope dæmonum elevabatur. Tum vero ſancti Petrus & Paulus in genua procidentes ſimul orabant invocantes nomen JEſu Chriſti. Illico hujus ſanctiſſimi Nominis terrore fugatis dæmonibus Simon cecidit, & confractis cruribus jacebat in terra.*

(*t*) Act. 8. v. 9, 10, & 11.
(*u*) Lib. 3. Hiſt. Eccleſ. §. 40.
(*x*) Lib. 2. Hiſt. Eccleſ. §. 23.

terra. Si vero ſine miraculo humanum corpus transferri non poteſt a dæmone, quomodo iſta ſalvari poteſt authoritas?

Alterius eadem Apoſtolorum Acta memoriam ingerunt (*y*): *Cum perambulaſſent univerſam Inſulam usque Paphum, invenerunt quendam Virum Magum Pſeudoprophetam Judæum, cui nomen erat Bar-Jeſu, qui erat cum Proconſule Sergio Paulo Viro prudente. Hic accerſitis Barnaba & Saulo deſiderabat audire verbum Dei. Reſiſtebat autem illis Elymas Magus (ſic enim interpretatur nomen ejus) quærens avertere Proconſulem a fide.* En! conatum diaboli! ſicut enim Moſi quondam & Aaroni reſtiterant Jannes & Mambre, ſic Petro & Paulo Apoſtolorum Principibus Simon reſiſtebat & Elymas, & quamvis id Scriptura non memoret, tamen vix eſt dubio locus, quin Simonis ad inſtar per mira quædam prodigia etiam Elymas fidem ſibi conciliare ſtuduerit. Alias certe Chryſoſtomus nequaquam Miraculum diceret, quod Proconſul non obſtante Elyma Apoſtolos audire voluerit. Sane hic Doctor inter Simonem & Elymam paritatem inſtituit (*z*): *Iterum Magus Judæus ſicut Simon, & vide hunc, quando aliis quidem prædicabant: non valde indignantem, quando autem acceſſerunt Proconſulem, tunc indignati ſunt. Miraculum autem eſt in Proconſule, quod præoccupatus illius magia voluit audire Apoſtolos. Ita & Samaritani fecerunt, & a comparatione victoria apparet, dum Magia vincitur.*

Aliam in iisdem Actis hiſtoriam legimus (*a*): Poſtquam Paulus Lydiam purpurariam ad Chriſtianam fidem converterat, puella quædam ſpiritu Pythonico prædita illi obviam facta eſt; hæc vero divinationibus ſuis magnum heris ſuis quæſtum cauſaverat, hæc Paulum continuo ſubſequens una voce clamabat (*b*): *Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis.* Sed Paulus hæc verba non amplius tolerans (*c*): *Spiritui dixit: præcipio tibi in nomine JEſu Chriſti exire ab ea.* Quod & illico factum eſt. Sed Domini puellæ futuro lucro fruſtrati Paulum & Silam perduxere ad Principes. Quid hoc? ſpiritum divinantem puella hæc habuit,

(*y*) Act. 13. v. 6, 7, & 8.
(*z*) Tom. 3. hom. 28. in Acta.
(*a*) Act. 16. a v. 16.
(*b*) l. c. v. 17.
(*c*) v. 18.

buit, divinationibus ſuis homines allexit, heros ditavit. Utique artem hanc magicam otioſam non dixeris.

De virtute magica extremis Eccleſiæ temporibus exercenda jam Chriſtus ipſe diſſeruit (*d*): *Surgent pſeudo-Chriſti, & pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Si autem ars Magica ſolis deceptionibus luderet, quomodo ſigna magna & prodigia diceret Chriſtus? quomodo tantam in iis efficaciam fore agnoſceret, ut ipſi etiam electi, ſi fieri poſſet, ſeductione peſſima caderent? Quænam futura ſint iſthæc prodigia, dilectus Chriſti diſcipulus ſequentibus explicat (*e*): Primum erit, ut ſe ipſum vel alium in hominum æſtimatione defunctum ſit reſuſcitaturus ad vitam: *Vidi unum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis ejus curata eſt, & admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam (f).* Alterum erit, ut Eliæ ad inſtar ignem e cœlo provocet: *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum (g).* Tertium erit, ut ſtatua Antichriſti inanimata loquatur: *Et datum eſt illi, ut daret ſpiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ (h).* Quæ omnia ſane Magiam maxime activam probant.

Elegans pro mea ſententia exemplum Eccleſiaſtica præbet hiſtoria, quam fuſiſſime enarrat eminentiſſimus Cardinalis Gottus (*i*), ego vero in pugnum contraho: Cyprianus Antiochiæ nobili ortus genere jam a prima adoleſcentia Magiæ operam dabat, ita quidem, ut ſub variis figuris eidem appareret diabolus, & ipſe etiam pro libitu varias figuras aſſumeret. Contigit, ut Juſtinam Virginem & genere & forma præclaram juvenis quidam Aglaides nomine vehementiſſime deperiret. Sed cum invictum Virginis animum ſuperare non poſſet, ad Cyprianum confugit obtenturus dæmonis ope, quod natura duce non poterat. Cyprianus mirum quantum gaudebat de petito auxilio utpote ejusmodi victoriis dudum aſſuetus. Nec mora: ex orco petit auxilium, ac impuriſſimos dæmones ad ſolicitandam hanc caſtiſſimam Daphnen ablegat. Sed Virgo prudentiſ-

(*d*) Matth. 24. v. 24.
(*e*) Apoc. 13.
(*f*) l. c. v. 3.
(*g*) l. c. v. 13.
(*h*) l. c. v. 15.
(*i*) Tract. 8. de Rel. Chriſt. verit. c. 13.

dentiſſima divino confiſa auxilio velut Marpeſia cautes tot inter fluctus ſtabat intrepida. Cyprianus nequaquam cedendum ratus ſemetipſum transmutabat in fœminam, Aglaidem vero in paſſerem, ut ad feneſtram Virginis volitaret, irrito tamen eventu, unde indignatus varios ei morbos immiſit, in parentum illius greges deſæviit, jumenta occidit, pueros interfecit, jecora in mulieribus inſpexit, & ſexcenta alia ejusmodi crimina perpetravit. Sed fruſtra. Unde de novo dæmonem conſulit. Sed hic infirmitatem ſuam confeſſus ſe contra Juſtinam utpote ſigno Chriſti munitam nil poſſe teſtatus eſt. Hoc audito Cyprianus meliora ſapere, diabolo infirmitatem objicere, ad Chriſtum accedere. Irritatus propterea dæmon Cyprianum ſuffocare volebat, ſed invocato nomine Chriſti cogebatur recedere. Ille non jam Magus, ſed Chriſtianus unacum Juſtina Virgine ob Chriſti fidem comprehenſus fuſo pro Chriſto ſanguine anterioris vitæ maculas diluit. En! Magiam quam maxime operantem. Multa hac in hiſtoria continentur, quæ meo inſtituto deſerviunt. Poteſt igitur diabolus in aſſumto corpore apparere hominibus, poteſt corpus de loco in locum transferre, poteſt homini morbos immittere, poteſt jumenta & greges occidere. Hæc tamen omnia mei adverſarii negant.

Sane plurimum Magiam poſſe, gentilium unanimis erat perſuaſio, cum enim Chriſti Martyres cernerent in mediis tormentis illæſos, eum leonibus, urſis, tigridibus quaſi colludentes, in aquis innoxios, magicis id artibus continuo tribuebant. Maxima cæcitate laborat, qui in ſanctorum Martyrum actis iſta non legit. Univerſalis igitur erat inter Gentiles perſuaſio Magiam quam maxime activam eſſe.

ARTICULUS VII.

De Senſu SS. Patrum de Magia practica.

Si ad Patres Eccleſiæ veniendum eſt, vix ullum puto invenies, qui meæ adverſetur ſententiæ, imo hanc eousque nonnulli defendunt, ut ipſos etiam Magos ad Domini præſepe vocatos

diabolicis artibus imbutos fuiſſe exiſtiment. Ita videtur ſupponere S. Ignatius Martyr in ſua epiſtola ad Epheſios (*k*). Ita defendit Juſtinus Martyr (*l*). Ejusdem eſt mentis Origenes (*m*). In hunc ſenſum & ſcribit Ambroſius (*n*). Nec abludit ſanctus Baſilius (*o*). Sed mittamus iſtos, propiora noſtro quæramus propoſito.

Tertullianus ita pro me ſolidiſſime (*p*): *Sciunt dæmones Philoſophi Socrate ipſo ad dæmonii arbitrium expectante. Quidni? cum & ipſi dæmonium adhæſiſſe a pueritia dicatur - - - Operatio eorum eſt hominis everſio - - - itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos caſus acerbos, animæ vero repentinos & extraordinarios per vim exceſſus - - - momento ubique ſunt. Totus orbis illis locus unus eſt, quid ubique geratur, tam facile ſciunt, quam enuntiant.* Siſtamus pauliſper in hoc textu, e quo primo diſcimus dæmones viſibile cum hominibus habere poſſe commercium. Si enim Socrates dæmonem familiarem habuit, quis neget id aliis quoque poſſe contingere? Secundo dæmones poſſe corpus humanum variis morbis affligere, imo & in anima inexpectatos raptus cauſare. Tertio denique non omnes infernali carcere clauſos teneri, ſed in hoc orbe cum mira celeritate vagari, quæ puncta adverſariorum ſyſtemati denuo adverſari noſcuntur.

Audiatur & S. Hilarius (*q*): *Ex libro Job docemur: cum enim diabolus poteſtatem tentandi Job poſtulaſſet per direptionem ſubſtantiæ ejus primum deſæviturus, homines ad paſtorum cædem & direptionem pecudum incitavit.* Vi hujus textus poteſt permittente Numine diabolus bona noſtra temporalia rapere, pecora interficere; cur non tempeſtatem cauſare & grandinem? Certe ad diſſipandam Jobi ſubſtantiam ignem e cœlo vocare permiſſus eſt. Hoc adverſæ parti denuo diſplicet.

Si ſancti Athanaſii opera pervolvere lubeat, plura invenire poterimus, quæ intento noſtro deſerviant. Is enim explicans, quas tentationes a dæmone S. Antonius tolerare debuerit, ſic diſſerit

(*k*) Tom. 1. Bibl. PP.
(*l*) in Dial. cum tryphon. Tom. 2. Bibl. PP.
(*m*) Lib. 1. adv. Celſum.
(*n*) Lib. 2. in Luc. Tom. 5.
(*o*) de humana Chriſti genenat.
(*p*) Apol. c. 22.
(*q*) in Pſalm. 128.

ſerit (*r*): *Ille* (diabolus ſcilicet) *per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum nulla omittens figmenta laſciviæ.* Quomodo hoc verum eſt, ſi dæmon tartareo clauſus carcere viſibili cum hominibus commercio caret? Sed pergamus in Athanaſio. Cum ne ſic quidem invictum Antonii animum frangeret (*s*): *Stridens dentibus, & ululans, qualis eſt merito, talis apparebat & vultu, puer horridus atque niger ad ejus ſe genua provolvens humana voce flebat.* Liceat hic quæſtionem ſupra propoſitam iterato repetere: ſed Antonio nec ad vanæ gloriæ vitium ullatenus inclinante alia dæmon arma aſſumpſit, de quibus ita Athanaſius (*t*): *Ita eum aggregatis ſatellitibus ſuis varia cæde laceravit, ut doloris magnitudo & motum auferret & vocem. Nam & ipſe poſtea referebat vulnera fuiſſe tam gravia, ut univerſa hominum tormenta ſuperarent.* Hæc apparentia, puto, ſatis erat ſenſibilis. Sed & hæc omnia Antonium ſuperare non poterant, unde novis opus erat inſultibus, quos ita denuo Athanaſius narrat (*u*): *Sonitus repentinus increpuit, ita ut loco funditus agitato parietibus patefactis multifaria dæmonum exinde turba ſe effunderet. Nam & beſtiarum & ſerpentium formas induentes omnem protinus locum replevere phantaſiis leonum, taurorum, luporum, aſpidum, ſerpentum, ſcorpionum, nec non & pardorum, atque urſovum. Et hæc ſingula ſecundum ſuam fremebant naturam. Rugiebat leo occidere volens, taurus mugitu & cornibus minabatur, ſerpens ſibilo perſonabat, luporum impetus inhiabat, pardus diſcolor a tergo authoris ſui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, & vocis horridæ dirus auditus.* En! beſtialem etiam præſentiam dæmonis! Nec infrequenter ejusmodi viſitationes contingebant Antonio, nam ita Athanaſius pergit (*x*): *Crebro Antonius talem a ſe viſum diabolum aſſerebat, qualem & B. Job Domino revelante cognoverat. Oculi ejus ac ſi ſpecies Luciferi, ex ore ejus procedunt lampades incenſæ, crines quoque incendiis ſparguntur, & ex naribus ejus fumus egreditur quaſi fornacis æſtuantis ardore carbonum, halitus ejus ut pruna, flamma vero ex ore ejus glomeratur.* Habemus ergo in variis dæmonem apparere corporibus, & viſibiliter converſari

(*r*) in vita S. Antonii Abbat.
(*s*) l. c.
(*t*) l. c.
(*u*) l. c.
(*x*) l. c.

verſari cum homine, quod Adverſarii ſuſtinere non poſſunt. Qui ex Athanaſio plura deſiderat, totam Antonii vitam ſed attentus pervolvat.

Ut Athanaſius de Antonio, ita de Hilarione Hieronymus (*y*): *Quadam nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quaſi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rurſus variarum portenta vocum, ut ante ſonitu, quam aſpectu territus cederet.* Paulo inferius (*z*): *Multæ ſunt tentationes ejus, & die noctuque variæ dæmonum inſidiæ, quas, ſi omnes narrare velim, modum excedam voluminis. Quoties illi nudæ mulieres cubanti, quoties eſurienti largiſſimæ apparuere dapes? Interdum orantem lupus ululans, & vulpecula ganniens tranſilivit, pſallentique gladiatorum pugna ſpectaculum præbuit, & unus quaſi interfectus, & ante pedes ejus corruens ſepulturam rogavit. Oravit ſemel fixo in terram capite, & ut natura fert hominum, abducta ab oratione mens neſcio, quid aliud cogitabat, inſiliit dorſo ejus feſtinus gladiator, & latera calcibus, cervicem flagello verberans, eja, inquit, cur dormitas? Cacchinnansque deſuper, cum defeciſſet, an hordeum vellet accipere, ſciſcitabatur.* Hæc, puto, viſibilem dæmonis præſentiam luculenter oſtendunt.

Mirum in modum ad rem meam facit hiſtoria, quam idem narrat Hieronymus (*a*): *Ejusdem Gazenſis emporii oppido Virginem Dei vicinus juvenis deperibat, qui cum frequenter tactu, jocis, nutibus, ſibilis, & cæteris hujusmodi, quæ ſolent morituræ Virginitatis eſſe principia, nihil profeciſſet, perrexit Memphim, ut confeſſo vulnere ſuo magicis artibus rediret armatus ad Virginem. Igitur poſt annum doctus ab Æſculapii vatibus non remediantis animas, ſed perdentis venit præſumtum animo ſtuprum geſtiens: & ſubter limen domus puellæ tormenta quædam verborum, & portentoſas figuras ſculptas in æris Cyprii lamina defodit. Illico inſanire Virgo, & amictu capitis abjecto rotare crinem, ſtridere dentibus, inclamare nomen adoleſcentis. Magnitudo quippe amoris ſe in furorem verterat.* Hoc maleficium fuiſſe quis neget? Pergit Hieronymus (*b*): *Perducta a Parentibus ad Monaſterium ſeni traditur ululante ſtatim & confitente dæmone: vim ſuſtinui, invitus abductus*

(*y*) Tom. 1. in vita Hilarionis Abbat.
(*z*) l. c.
(*a*) l. c.
(*b*) l. c.

ctius ſum, qui bene Memphi ſomniis homines deludebam. O cruces! o tormenta, quæ patior. Exire me cogis, & ligatus ſubter limen teneor. Non exeo, niſi me adoleſcens, qui tenet, dimiſerit. Tunc ſenex: grandis, ait, fortitudo tua, quod licio, & lamina ſtrictius teneris. Dic, quare auſus es ingredi puellam Dei? ut ſervarem, inquit, eam Virginem, tu ſervare proditor caſtitatis? cur non potius in eum, qui te mittebat, es ingreſſus? ut quid, reſpondit, intrarem in eum, qui habebat collegam meum amoris dæmonem? Noluit autem Sanctus, antequam purgaret Virginem, vel adoleſcentem, ſigna jubere perquiri, ne aut ſolitis incantationibus receſſiſſe dæmon videretur, aut ipſe ſermoni ejus accommodaſſe fidem aſſerens fallaces eſſe dæmones, & ad ſimulandum eſſe callidos. Et magis reddita ſanitate increpuit Virginem, cur feciſſet talia, per quæ dæmon intrare potuiſſet. Hæc hiſtoria non pauca continet adverſo ſyſtemati omnino contraria, & quidem primo per artes magicas carnalem poſſe amorem conciliari. Secundo dæmones divinare per ſomnia, 3tio quod dæmon ab homine intrudi poſſit in corpus alterius, quæ omnia Adverſarii negant.

Mea principia etiam Epiphanius ſtabilit ita de Carpocratianis perorans (*c*): *Aggrediuntur hi, qui ex nefaria hac ſchola ſunt, omnigenos conatus horribilium, ac pernicioſorum operum. Magia enim apud ipſos excogitata eſt, incantationesque diverſas ad omnem machinationem invenerunt ad amorem, & ad illectamenta. Quin & aſſeſſores dæmones ſibi ipſis attrahunt, ad hoc, ut per multas præſtigias in magna poteſtate omnibus dominentur, quibus velint.* Hic textus & dæmonum probat præſentiam & magicæ artis virtutem in ordine ad conciliandum amorem, neutrum adverſarii probant.

Euſebius Cæſareenſis, poſtquam omnia Apollonii Thyanæi prodigia, quæ gentiles ipſis Chriſti miraculis oppoſuere, ex Philoſtrato narraverat, ita contra Hieroclem concludit (*d*): *Patere itaque, quod ſæpe a nobis eſt dictum, cuncta illius miracula dæmonum miniſteria eſſe.* Ergo ipſius ars magica ſterilis non erat, tot enim, ac tanta patravit prodigia, ut omnes in ſtuporem raperentur. Qui illa fuſius ſcire deſiderat, legat hiſtoriam Eccleſiaſticam Fleurii (*e*),

(*c*) Hæreſ. 27. (*e*) Tom. 1. lib. 1. §. 49.
(*d*) in Hiroclem in confut. lib. 6ti.

ego unum inſtituto meo magis deſerviens affero: Cum Apollonius varia Epheſiis de cultu Deorum dogmata proponeret, juvenis quidam altius ridere cœpit. Apollonius non multum indignatus eum a dæmone obſeſſum dixit. Veritatem probavit eventus, nam illico manifeſta inhabitantis dæmonis ſigna apparuere. Unde præcepit ſpiritui, ut exiret, & in ſignum egreſſus ſtatuam non longe remotam everteret, quod & factum eſt. Concludit famoſus hiſtoricus (*f*): *Si Apollonio cum dæmonibus neceſſitudo interceſſit, ſicut a Paganis incuſabatur, credi poteſt inter ſe colluſiſſe, ut ejus nutu intrarent in hominem, vel exirent*, qua e gloſſa duo denuo diſcimus nempe & hominem poſſe paciſci cum dæmone, & dæmonem ab homine in alterius corpus poſſe intrudi.

S. Gregorius de Antichriſto diſcurrens ſtupenda illi prodigia tribuit (*g*): *Tantis ſignis & prodigiis in ſanctitatis oſtenſione elevatur, ut argui ab homine ejus facta non valeant, quia cum poteſtate terroris jungit etiam ſigna oſtenſæ ſanctitatis.* Hæc vero non meras ſenſuum illuſiones fore jam ſupra oſtendimus.

Favet nobis & S. Cypriani Authoritas ita ſcribentis (*h*): *Inde jam facultas datur immundos & erraticos ſpiritus, qui ſe expugnandis hominibus immerſerint, ad confeſſionem minus increpantibus cogere, ut recedant, duris verberibus urgere, conflictantes, ejulantes, gementes incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere.* Quæſo! quomodo urgebis diabolum, ut a te recedat, quomodo caſtigabis verberibus, quomodo flagello terrebis, ſi ille clauſus inferno eſt? ſi nullum homines inter exercet commercium?

Accedat denique & maximum Eccleſiæ columen Auguſtinus (*i*): taceo quid ipſo teſte dæmones poſſint in fœminas, verecundiæ ſiquidem lectoris conſulere ſtatui (*k*). Poſtea vero de Antichriſti diſcurrens miraculis ex libro Job manifeſte oſtendit dæmonem vera poſſe patrare prodigia: *Tunc ſolvetur Satanas, & per illum Antichriſtum in omni ſua virtute mirabiliter quidem ſed mendaciter operabitur. Quod ſolet ambigi, utrum propterea dicta ſint ſigna & prodigia*

(*f*) l. c.
(*g*) Tom. 2. lib. 15. moral. c. 36.
(*h*) in Epiſt. ad Donat.
(*i*) Tom. 5. lib. 15. de Civit. c. 23.
(*k*) l. c. lib. 20. de Civit. c. 19.

digia mendacii, quoniam mortales ſenſus per phantaſmata decepturus eſt, ut quod non facit, facere videatur. An quia illa ipſa, etiamſi erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros, non ea potuiſſe niſi divinitus fieri virtutem diaboli neſcientes, maxime quando tantam, quantam nunquam habuit, accipiet poteſtatem. Non enim quando e cœlo ignis cecidit, & tantam familiam cum tantis gregibus pecorum ſancti Job, uno impetu abſumpſit, & turbo irruens, & domum rejiciens filios ejus occidit, phantaſmata fuerunt opera Satanæ, cui Deus dederat hanc poteſtatem. Vides ergo ad mentem Aurelii diabolum non phantaſtice ſolum, ſed & vere operantem.

Inferius autem, ubi de Veneris phano & ardente lucerna nulla tempeſtate, nullo imbre delenda reſpondet, ita ad ſcopum meum effatur (*l*): *De iſto autem phano Veneris & lucerna inextinguibili non ſolum in nullas coarctamur anguſtias, verum etiam latitudinis nobis campus aperitur. Addimus enim ad iſtam lucernam inextinguibilem & humanarum & magicarum, id eſt per homines dæmoniacarum artium, & ipſorum per ſe ipſos dæmonum multa miracula, quæ, ſi negare voluerimus, eidem ipſi, cui credimus, ſacrarum litterarum adverſabimur veritati. Aut ergo in lucerna illa mechanicum aliquid de lapide Asbeſto ars humana molita eſt, aut arte magica factum eſt, quod homines illo mirarentur in templo, aut dæmon quispiam ſub nomine Veneris tanta ſe efficacia præſentavit, ut hoc ibi prodigium, & appareret hominibus, & diutius permaneret. Illiciuntur autem dæmones, ad inhabitandum per creaturas, quas non ipſi, ſed Deus condidit, delectabilibus pro ſua diverſitate diverſis, non ut animalia cibis, ſed ut ſpiritus ſignis, quæ cujusque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Ut autem illiciantur ab hominibus, prius eos ipſi aſtutiſſima calliditate ſeducunt vel inſpirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitiis apparendo, eorumque paucos diſcipulos ſuos faciunt, plurimorumque doctores. Neque enim, potuit niſi primum ipſis docentibus diſci, quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur, unde magicæ artes, earumque artifices extiterunt. Maxime autem poſſident corda mortalium, qua potiſſimum poſſeſſione gloriantur, cum ſe transfigurant in Angelos lu-*

 cis.

(*l*) Lib. 21. de Civit. c. 6.

cis. Sunt ergo facta eorum plurima, quæ quanto magis mirabilia confitemur, tanto cautius vitare debemus. Hic textus plura nos edocet, quæ cum adversariorum systemate nequaquam combinari possunt. Primo asserit S. Pater, qui negat per dæmones patrari posse miracula in sensu scilicet laxiori accepta, contradicit Scripturæ, 2do ait dæmones apparere hominibus & fallacibus amicitiis illos decipere. 3tio Allici rebus corporeis tanquam signis. 4to Hæc signa homines didicisse a diabolis, ut his positis compareant, & sic pacti & expressi & taciti meminit. Hæc autem omnia eruditi Authores & negant, & pernegant.

ARTICULUS VIII.

De Sensu S. Thomæ Aquinatis, aliorumque Doctorum de Magia practica.

Augustino Magistro Thomam subjungo discipulum, quorum authoritas, quamvis semper maxima fuerit, modernis tamen temporibus ad supremum est evecta fastigium, cum nullus modo Theologorum sit, qui non Augustino & Thoma Ducibus gloriari contendat. Thomas igitur per maleficium impediri posse maritalem copulam sat fuse ostendens hæc habet (*m*): *Dicendum, quod quidam dixerunt, quod maleficium nihil erat in mundo, nisi in æstimatione hominum, qui effectus naturales, quorum causæ sunt occultæ, maleficiis imputabant, sed hoc est contra authoritates Sanctorum, qui dicunt, quod dæmones habent potestatem supra corpora, & supra imaginationem hominum, quando a Deo permittuntur; unde per eos malefici signa aliqua facere possunt. Procedit autem hæc opinio ex radice infidelitatis, sive incredulitatis, quia non credunt esse dæmones nisi in æstimatione vulgi tantum, ut terrores, quos homo sibi ipsi facit, ex sua æstimatione imputet dæmoni, & quia etiam ex imaginatione vehementi aliquæ figuræ apparent in sensu tales, quales homo cogitat, & tunc creduntur dæmones videri. Sed hæc vera fides repudiat, per quam Angelos de cælo cecidisse & dæmo-*

(*m*) in 4. Sent. dist. 34. A. 3. in ⊙

dæmones esse credimus, & ex subtilitate suæ naturæ multa posse, quæ nos non possumus, & ideo illi, qui eos ad talia facienda inducunt, malefici vocantur. En! juxta D. A. datur maleficium, juxta Adversarios non datur maleficium. Juxta Thomam dæmones habent potestatem in corpora, juxta adversarios non habent. Juxta Thomam Deus permittit hanc potestatem, juxta Adversarios salvis perfectionibus permittere non potest. Juxta Thomam malefici inducunt dæmonem ad causanda maleficia, juxta Adversarios non possunt inducere. Quis ex his loquitur veritatem?

Pacti vero & expressi, & taciti cum dæmone initi idem Angelicus meminit, cum enim dixisset non licere uti auxilio dæmonum ad corporales effectus ita demum subjungit: *Similiter etiam in aliis operibus magicis, in quibus complementum operis ex virtute dæmonum expectatur, in his enim omnibus est apostasia a fide per pactum initum cum dæmone. Vel verbotenus, si invocatio intersit, vel facto aliquo, etiamsi sacrificia desint.* D. A. aperte contradicunt adversæ partis Patroni.

Idem Angelicus, postquam sufficienter ostenderat vera per dæmones miracula fieri non posse, sed hæc dextram Omnipotentis requirere, postquam declaraverat simul vires diabolicas nequaquam transcendere, ut patrent miracula in sensu largiori accepta talia scilicet, quæ vires hominis superent, ita subjungit (*n*): *Sciendum est tamen, quod quamvis hujusmodi opera dæmonum, quæ nobis miracula videntur, ad veram rationem miraculi non pertingant, sunt tamen quandoque veræ res. Sicut Magi Pharaonis per virtutem dæmonum veros serpentes, & ranas fecerunt, & quando ignis de cælo cecidit, & familiam Job cum gregibus pecorum uno impetu consumpsit, & turbo domum dejiciens filios ejus occidit, quæ fuerunt opera Satanæ, phantasmata non fuerunt, ut Augustinus dicit 20. de Civit. Dei.* Thomas igitur opera dæmonum asserit non semper esse phantastica, Adversarii contrarium volunt.

Doctorem Angelicum Theologi omnes sequuntur, ita ut vix ullum invenias, qui in Tractatu de virtute Religionis contra maleficia non præscribat remedia. Inquisitores pariter Viri & in Theo-

(*n*) 1. P. quæst. 114. A. 4. in ⊙

logia & jure peritiſſimi, optimæ inſuper famæ & morum innocentia clari id unanimi ore teſtantur, teſtes alii de viſu accedunt innumeri, ſagæ ipſæ ſemetipſas accuſant, quando in manus juſtitiæ incidunt; experientia ſuffragatur continua, leges & Canonicæ & Civiles contra maleficos pœnas graviſſimas ſtatuunt. Homines pene omnes tam plebeji, quam nobiles de hac veritate non dubitant, ut adeo unanimem fere ad hæc usque tempora hominum conſenſum liceret adducere, quod diabolicis artibus multa ab hominibus mira patrentur, damna inferantur, morbi cauſentur, & alia. Jam ex hucusque ſat fuſe oſtenſis cum eruditiſſimo Patre Honorato a S. Maria (*o*) liceat argumentum quoddam reflexum adducere, quod meo quidem judicio (ſalvo ſemper meliori) tam facile nullus everterit. Eſt autem ſequentis tenoris.

ARTICULUS IX.

Proponit Argumentum reflexum ex hucusque dictis.

Nulla traditio omni antiquitate ab ipſis ſtatim diluvii temporibus inchoata, teſtimonio Gentilium fere omnium roborata, ſacræ Scripturæ Oraculis confirmata, unanimi Judæorum conſenſu ſolidata, a Chriſtianis fere omnibus approbata, in ſcriptis SS. PP. fundata, in actis SS. Martyrum explicata, inter Doctores ſcholaſticos & Theologos ferme indubitata, a ſacris Inquiſitoribus & Judicibus millies ratihabita, quotidianis inſuper tum plebejorum, tum nobilium experimentis ſtabilita everti poteſt, ac rejici, niſi vel illius vitiatæ origo poſſit oſtendi, vel talia contra illam afferantur momenta, quæ omnem probabilitatis lineam mille paraſangis excedant, & omnino demonſtrativa eſſe noſcantur; alias ſiquidem omnia antiquitatis monumenta nutabunt, & firmam amplius in rebus hiſtoricis regulam ſequi non poteris. Quid enim, amabo, facilius quam leves quasdam conjecturas adducere, & ſic, ſi nil valet traditio unanimi conſenſu firmata, rem omnibus certam prope ſingulis dubiam reddere? Sed

(*o*) Tom. 2. animadverſ. in reg. & uſum Crit. lib. 2. diſſert. 2. A. 4. & 5.

Sed (sit venia verbo) clarissimi Authores in suis operibus nequaquam ostendunt traditionis hujus vitiatam originem (traditionem siquidem esse & vetustissimam quidem præcedentes Articuli remonstrabant) sed tantummodo ad præjudicia recurrendum existimant, quibus plerosque mortalium fascinatos credunt. Sed an id de tota antiquitate, de tot Viris omni exceptione majoribus, de sanctis Patribus, Doctore Angelico, aliisque Theologis, imo tot testibus etiam de visu prudenter, supponi possit, aliis dijudicandum relinquo.

Nec ex parte altera illorum momenta ejus mihi efficaciæ esse videntur, ut sententiam in traditione fundatam aperte de falsitate convincant. Authoritas, cui nituntur, quamvis gravem esse non denegem; si tamen comparetur cum nostra, exigua est modicaque; quid enim quatuor vel quinque Viri, & ne hi quidem omnes Theologi ad infinitam quasi aliorum Authorum myriadem, quid ad integram SS. Patrum catervam, quid ad Thomam Aquinatem, quid ad omnes prope Theologos, qui Angelicum hunc Ducem hac in parte uno ore sequuntur?

Conjecturæ ipsorum tantæ sunt, ut quamvis primo intuitu graves appareant, non tamen difficulter solvantur. Hi vero Authoritas nempe & Conjectura duo sunt artis Criticæ oculi, qui, si caligent, totum utique fundamentum ruat, necesse est. Ne vero plausibilius ista, quam verius dicta sint, presso illorum momenta modo pede sequamur.

ARTICULUS X.

Dissolvit Momenta contraria.

Quod eruditi Authores homines dari defendant, qui semetipsos dæmoni devovent, illius implorant auxilium, ac illius ope mira patrare conantur, tantum abest, ut ab illis dissentiam, ut etiam pedibus, manibusque adstipuler. Quod vero omnes ipsorum conatus mere phantasticos asserant, & magicas artes

tes omni efficacia deſtitutas affirment, id enimvero diſcordiæ pomum eſt, quod modo enucleare præſumo.

Ac inprimis quidem non capio, quidnam allata de ſomniorum interpretibus paritas velit. Non enim quamcunque ſomniorum interpretationem rejicient, ſic enim ſacris aperte oraculis contradicerent (*p*): quis enim Joſephi Ægyptiaci ſomnia? quis genuinam eorum interpretationem ignoret? Sane in ſacris paginis peregrinus eſt, qui ſomnia Nabuchodonoſoris neſciat, qui Danielis non ſciat oracula (*q*). Si vero iisdem de ſomniis mere naturalibus, vel immiſſis a dæmone ſermo eſt, non diffiteor nil his eſſe credendum, affirmo & aſſero quam maxime ſuperſtitioſum eſſe ex his velle futura cognoſcere. Si tamen exiſtimant divinationem factam ex ſomniis ſemper falſam fuiſſe, vel invitus in partes contrarias abſtrahor: audiamus ſiquidem quid de his antiqui Scriptores.

Ovidius narrat, quod mater Paridis adhuc prægnans in ſomnio ſibi viſa fuerit parere ingentem flammam. Illa (ut par erat) perterrita, marito refert, ille vatem conſulit, qui reſpondit fatale hoc ſomnium eſſe, & propter eum, quem Regina ſuo geſtaret in utero, Trojam in cineres redigendam eſſe. Audiamus Paridem apud eundem Poetam de ſe ita canentem (*r*):

Matris adhuc utero partu remorante tenebar,
Jam gravidus juſto pondere venter erat.
Illa ſibi ingentem viſa eſt ſub imagine ſomni
Flammiferam pleno reddere ventre facem
Territa conſurgit, metuendaque noctis opacæ
Viſa ſeni Priamo, vatibus ille refert.
Arſuram Paridis vates canit Ilion igni.

Veritatem probavit eventus, ob raptam ſiquidem a Paride Helenam Trojanum bellum exarſit, quo tandem urbs Aſiæ nobiliſſima capta, incenſa, everſa eſt.

Nec minus mirabile Æneæ ſomnium recenſet Virgilius (*s*):

Nox erat, & terras animalia feſſa per omnes
Alituum, pecudumque genus ſopor altus habebat,

Cum

(*p*) Gen. 36. & 41.
(*q*) Dan. 2. & 4.
(*r*) in epiſt. Heroid.
(*s*) Æneid. lib. 8.

Cum Pater in ripa, gelidique ſub ætheris axe
Æneas triſti turbatus pectora bello.
Procubuit, ſeramque dedit per membra quietem.
Huic Deus ipſe loci fluvio Tiberinus amœno
Populeas inter ſenior ſe attollere frondes
Viſus, eum tenuis clauco velabat amictu
Carbaſus, & crines umbroſa tegebat arundo:
Tunc ſic affari, & curas his demere dictis
O ſate gente Deum, Trojanam ex hoſtibus urbem
Qui revehis nobis, æternaque Pergama ſervas
Expectate ſolo Laurenti, arvisque latinis,
Hic tibi certa domus, certi, ne abſiſte penates
Neu belli terrere minis, tumor omnis, & iræ
Conceſſere Deum.
Jamque tibi ne vana putes hæc fingere ſomnum
Littoreis ingens inventa ſub ilicibus Sus
Triginta capitum fœtus enixa jacebit
Alba ſolo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis urbem.

Nec vaticinio veritas defuit, ita enim idem Poeta:

Ecce! autem ſubitum, atque oculis mirabile monſtrum:
Candida per ſylvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in littore conſpicitur Sus.

Somnia non omnia optato carere effectu etiam Propertius indicat (*t*):

Nec tu ſperne piis venientia ſomnia portis
Cum pia venerunt ſomnia, pondus habent.

Id ipſum ſentit & Claudianus hoc diſticho (*u*):

Additur ecce! fides, nec me mea luſit imago
Irrita nec falſum ſomnia miſit ebur.

Mirabile ſomnium reipſa impletum recenſet Juſtinus hiſtoricus de

(*t*) Lib. 4. eleg. 7. (*u*) Præfat. in 6tum conſulat. Honorii.

Rege Aſtyage ſequentis tenoris (*x*): *Poſt multos dein Reges per ordinem ſucceſſionis regnum ad Aſtyagem deſcendit. Hic per ſomnium vidit ex naturalibus filiæ, quam unicam habebat, vitem enatam, cujus palmite omnis Aſia obumbrabatur. Conſulti Arioli ex eadem filia nepotem ei futurum, cujus magnitudo prænuntietur, regnique ei amiſſionem portendi reſponderunt.* Quod in Cyro Mandanæ filio & primo Perſarum monarcha impletum eſt. Plura ejusmodi recenſet Valerius Chaximus; ego tria tantum adduco, quæ eventum prædictum ſortita ſunt (*y*). De Auguſto, quod Artario medico ſuo non crediderat, ita Valerius: *Audiverat Divi Julii Patris ſui uxorem Calpurniam nocte, quam is ultimam in terris egit, in quiete vidiſſe, multis eum confectum vulneribus in ſinu ſuo jacentem, ſomniique atrocitate vehementer exterritam rogare non deſtitiſſe, ut proxima die a curia ſe abſtineret. At illum, ne muliebri ſomnio motus id feciſſe exiſtimaretur, ſenatum, in quo parricidarum manus allatæ ſunt, adire contendiſſe.* En! verum quamvis tragicum ſomnii exitum.

Alterum exemplum de C. Graccho idem Author enarrat (*z*): *Cajo autem Graccho imminentis caſus atrocitas palam atque aperte per quietem denuntiata eſt. Somno enim preſſus Tiberii Gracchi fratris effigiem vidit dicentis ſibi: nulla ratione eum vitare poſſe, ut eo fato non periret, quo ipſe occidiſſet. Id ex Graccho, priusquam tribunatum, in quo fraternum exitum habuit, iniret, multi audiverunt. Cœlius etiam certus Romanæ hiſtoriæ author ſermonem de ea re ad ſuas aures illo adhuc vivo perveniſſe ſcribit.*

Simile refert de Alcibiade his verbis (*a*): *Alcibiades quoque miſerabilem exitum ſuum haud fallaci nocturna imagine ſpeculatus eſt. Quo enim pallio amicæ ſuæ dormiens opertum ſe viderat, eo interfectus & inſepultus jacens contectus eſt.*

Nimis longum eſſet Scipionis ſomnium enarrare, quod fuſiſſime præſtat Macrobius (*b*).

Unum adhuc unicum ſuperaddo ex Cœlio Rhodigino ſatis mirabile (*c*): *Ad conjectorem detulit quidam ſomniaſſe ſe ovum pendere ex*

(*x*) in trag. Pomp. hiſt. lib. 1.
(*y*) Lib. 1. c. 7.
(*z*) l. c.
(*a*) l. c.
(*b*) a f. 1.
(*c*) Lect. antiq. lib. 27. c. 14.

ex faſcia lecti ſui cubicularis. Reſpondit is latere ſub lecto infoſſum theſaurum. Fodit, auri aliquantulum invenit idque argento circumdatum. Conjectori miſit de argento, quantum eſt viſum. Tum ille: nihilne (inquit) de vitello? Ergo quamvis ſuperſtitioſum ſit divinare ex ſomniis, non tamen ſemper fallunt ſomniorum interpretes, nec ſemper diabolus, ne omnem apud ſibi devotos fidem amittat.

De auguriis & auſpiciis idem omnino dicendum eſt; quis enim approbet illa, quæ Scriptura ipſa tanquam ſuperſtitioſa condemnat? *Cave*, monentis verba ſunt Spiritus ſancti (*d*), *ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem, aut qui Ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia, atque auguria, nec ſit maleficus.* Nota mihi eſt S. Auguſtini parœmia ita loquentis: *Omnes artes hujusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis ex quadam peſtifera ſocietate hominum & dæmonum, quaſi pacta infidelis & non doloſæ amicitiæ conſtituta penitus ſunt repudianda, & fugienda Chriſtiano.* Et jure merito: quid enim, quæſo, garritus vel volatus avium de ſe mihi poſſit portendere, quomodo cum hoc, vel illo effectu connecti?

Si tamen ex auguriis, auſpiciisque nunquam ſecutam veritatem exiſtimes, ipſimet Auguſtino opponeris. Is enim ipſe ſic habet (*e*): *Quibus illuſionibus & deceptionibus evenit, ut iſtis ſuperſtitioſis & perniciosis divinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant, quam dicunt, multaque obſervantibus ſecundum obſervationes ſuas eveniant, quibus implicati curioſiores fiant, & ſeſe magis, magisque inſerant multiplicibus laqueis perniciosiſſimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ ſalubriter divina Scriptura non tacuit, neque ab ea ſic deterruit animam, ut propterea talia negaret eſſe ſectanda, quia falſa dicuntur a Profeſſoribus eorum, ſed etiamſi dixerint vobis, inquit, & ita evenerit, ne credatis eis.*

Enimvero ſive Poetas, ſive Hiſtoricos velimus conſulere, ejusmodi auguriis, auſpiciisque eventum reſpondiſſe legemus. Virgilius, cum deſcenſum Æneæ ad inferos eleganti depingeret carmine, columbarum meminit, quarum auſpiciis aureum de arbore ramum Æneas decerpere poterat (*f*):

(*d*) Deut. 18. v. 9. & 10. (*e*) l. c. (*f*) Lib. 6. Æneid.

Vix ea fatus erat, geminæ cum forte columbæ
Ipſa ſub ora Viri cœlo venere volantes
Et viridi ſedere ſolo, tum maximus heros
Maternas agnoſcit aves, lætusque precatur:
Eſte Duces; o ſiqua via eſt, curſumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum, tuque o dubiis ne defice rebus
Diva Parens: ſic effatus veſtigia preſſit
Obſervans, quæ ſigna ferant, quo tendere pergant.
Paſcentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie poſſent oculi ſervare ſequentum.
Inde ubi venere ad fauces graveolentis Averni,
Tollunt ſe celeres, liquidumque per aera lapſæ
Sedibus optatis gemina ſuper arbore ſidunt.
Diſcolor unde auri per ramos aura refulſit.

Hæc fabula eſt, hiſtoriam audiamus, quam recenſet Valerius Maximus (*g*): *Tiberius Gracchus, cum ad res novas pararetur, auſpicia domi prius a luce petiit, quæ illi perquam triſtia reſponderunt, & janua egreſſus ita pedem offendit, ut digitus ei decuteretur. Tres deinde corvi in eum adverſum occinentes partem tegulæ decuſſam ante ipſum prætulerunt, quibus ominibus contemptis a Scipione Naſſia Pontifice Maximo decuſſus Capitolio fragmento ſubſellii ictus procubuit.*

Ejusdem triſtitiæ caſus Lucium Junium oppreſſit, de quo ita Author præfatus (*h*): *Lucius Junius P. Clodii collega neglectis auſpiciis claſſem tempeſtate amiſit, damnationisque ignominiam voluntaria morte prævenit.*

Nec quid lætius de Cicerone refertur (*i*): *Marco Ciceroni mors imminens auſpicio prædicta eſt, cum enim in Villa Cajetana eſſet, corvus in conſpectu ejus horologii ferrum loco motum excuſſit, & protinus ad ipſum tetendit, ac laciniam togæ eousque morſu tenuit, donec ſervus ad occidendum eum milites veniſſe nuntiaret.*

Lætiora Numæ Pompilio fuere auguria. Is enim, an re vera ad Romanorum ſceptrum vocatus eſſet, ſcire percupiens, Deos volebat conſulere (*k*): *Auguribus igitur, Sacerdotibusque aſſumtis*

(*g*) Lib. 1. c. 4. (*h*) l. c. (*i*) l. c. (*k*) Plutarchus in Numa.

ſumtis Capitolium aſcendit (id Tarpejum collem tunc Romani appellabant) ubi, qui auguribus præerat, illum velato capite ad meridiem vertens, ipſe autem retro manens, & ejus caput dextra manu tenens precatus eſt, & contra quam longiſſime oculi ferebant proſpectum, quæ a Diis immortalibus auſpicia, ſignave mitterentur, circumluſtrabat. Silentium ſummum tanta in multitudine forum tenebat cunctis eventum obſervantibus, & de futuro ſuſpenſis. Ac mox cum bonæ aves, dextræque apparuiſſent, inſignia ei tradiderunt. Veritatem augurii eventus oſtendit, plus enim Pompilius pace, quam Reges alii bello utut victores Reipublicæ profuit.

Rem omnino ſtupendam, & fere miraculo ſimilem Dionyſius Halicarnaſſeus recenſet (*l*): *Navius, cum aliquando Tarquinius ad veteres Equitum Centurias tres novas ex recenti delectu a ſe habito adderet, illasque Centurias a ſe additas de ſuo, ſuorumque amicorum nomine appellare vellet, ſolus ei fortiter eſt adverſatus non ſinens quidquam ex Romuli inſtitutis ab eo mutari. Rex autem iratus, quod ab eo impeditus fuiſſet, & infenſus Navio conatus eſt vanitatem ejus artis arguere, eamque eludere, quaſi ille tantummodo ſe jactaret, & nihil veri diceret. Hæc animo agitans vocavit Navium ad tribunal præſente magna turba, quæ in foro erat. Cum autem eos, qui circum circa aſtabant, præmonuiſſet, qua ratione ſperaret fore, ut augur ille vanitatis a ſe arguerētur, poſtquam acceſſit, eo comiter ſalutato: nunc, inquit, eſt tempus o Navi, ut demonſtres, quam peritus ſis artis divinandi. Cum enim rem magnam aggredi in animo habeam, an ea fieri poſſit, ſcire volo, quare abi, & conſultis avibus ocyus redi. Ego vero hic ſedens te expectabo. Vates imperata fecit, nec multo poſt rediit, & fauſta auguria ſe accepiſſe dixit, affirmavitque rem fieri poſſe. Tunc Tarquinius ob eam orationem ridens, & ex ſinu depromens novaculam & cotem ei dixit: jam certe Navi, patet te nobis imponere, & contra Numen mentiri manifeſte, quando res, quæ nullo modo fieri poſſunt, fieri poſſe auſus es affirmare. Atqui hoc animo agitavi, an hac novacula cotem mediam percutiens diſcindere poſſem. Tunc exorto riſu inter omnes, qui tribunal circumſtabant, Navius nihil eo ludibrio & tumultu turbatus dixit: Tarquini, cotem, ut mente concepiſti, confidenter feri, dividetur enim, aut quidvis perpe-*

(*l*) Rom. antiq. lib. 3.

perpeti ſum paratus. Rex autem vatis confidentiam admiratus cotem novacula percuſſit. Porro ferri acies toto lapide penetrato cotem diviſit, & partem manus, quæ eam tenebat, ſcidit. Cæteri igitur omnes conſpecta hac re admiranda, & vix credenda ſtupefacti clamorem ſuſtulerunt. Habemus igitur augurem & vera dicentem, & mira facientem.

Si ad Aſtrologos devenire neceſſe ſit, eadem iterato erit reſponſio, quamvis enim multi eventus neceſſarii ex aſtris portendi poſſint, ut hodierna Matheſis oſtendit, effectus tamen contingentes, & a libera cauſa manantes ex ſyderum motu pro certo prædici non poſſunt, hoc ipſo enim eventus eſſent neceſſarii, non liberi, non contingentes; unde non mirum artem hanc aſtrologicam & a Scriptura, & a Patribus, atque Conciliis fuiſſe damnatam. Si tamen quis denuo velit prætendere nihil unquam veri ex aſtris prædictum fuiſſe, decipitur, nam Aſcletarion quidam Mathematicus proprium ſuum interitum ex aſtris prædixit, de quo ita Suetonius (*m*): *Hunc delatum, nec inficiantem jactaſſe ſe, quæ prævidiſſet ex arte, ſciſcitatus eſt* (Domitianus) *quis ipſum maneret exitus, & affirmante fore, ut brvei laceraretur a canibus, interfici quidem ſine mora, ſed ad coarguendam temeritatem artis ſepeliri quoque accuratiſſime imperavit, quod, cum fieret, evenit, ut repentina tempeſtate dejecto funere ſemiuſtum cadaver diſcerperent canes.*

Stellam medio etiam die apparentem imperium Honorii portendiſſe Claudianus affirmat (*n*):

Nec certius unquam
Hortati ſuperi, nullis præſentior æther
Affuit ominibus, tenebris involverat atris
Lumen hyems, denſosque notus collegerat imbres.
Sed mox cum ſolita miles te voce levaſſet.
Nubila diſſolvit Phœbus, pariterque dabantur
Sceptra tibi, mundoque dies caligine liber,
Phoſphorus adverſam patitur Calcedona cerni.
Nec tantum vicina nitent, ſed tota repulſis
Nubibus exuitur Thrace, pangæa renident,
Inſuetosque palus radios Mæotica vibrat,

Nec

(*m*) in Domitiano. (*n*) de 4to conſulatu Honorii.

Nec Boreas nimbos, aut ſol ardentior egit:
Imperii lux illa fuit, præſagus obibat
Cuncta nitor, riſitque tuo natura ſereno.
Viſa etiam medio populis mirantibus audax
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuſo
Languida, ſed quantus numeratur nocte Bootes,
Emicuitque plagis alieni temporis hoſpes
Ignis, & agnoſci potuit, cum luna lateret,
Sive Parens Auguſta fuit, ſeu forte reluxit
Divus avus, ſeu te claris properantibus aſtris
Cernere ſol patiens cœlum commune remiſit.
Apparet, quid ſigna ferant.

Mirabile quid ex Porphyrio narrat Euſebius (o): *Cum ex Apolline quæreretur, maremne an fœminam in utero habens mulier pareret? fœminam reſpondit, idque a conceptionis tempore percepiſſe declarat dicens: non ſperato marem Phœbe, cum Arares Cypriæ radiis tenebratur.* Et hæc non veritatis, ſed eruditionis hauriendæ gratia dicta exiſtimes.

Sed his omiſſis ad rei ſubſtantiam accedamus. Eſt ergo Magia diabolica ars, vi cujus ope dæmonis mira patrantur. Cum vero hoc neutiquam poſſit contingere absque eo, quod homo vel expreſſe vel tacite paciſcatur cum dæmone, definitionem ab Adverſariis adductam intactam relinquo; conditiones vero, quas afferunt, ſaltem poſſibiles eſſe oſtenſurus inferius.

Jam vero iſtud hominis cum dæmone pactum aggrediuntur bifariam. Vel enim (inquiunt) ad ſolam invocationem hominis dæmon apparet? vel per operationes magicas ad præſentiam cogitur? Cogi dæmon nequaquam poteſt, cum inter verba, circulos, aliaque corporea, & dæmonem inter, qui merus eſt ſpiritus, non intercedat proportio, nec credi oportet ſuperbiſſimum ſpiritum unius vetulæ imperio velle ſubditum eſſe. Nec etiam ultronee præſens apparet, cum enim damnatus ſit ſpiritus, viſibili cum hominibus conſortio caret, nec poteſt pro libitu corpus aſſumere; cum hæc illi poteſtas per Chriſtum ademta ſit. Et ſi poſſet, quæ-

ſo,

(o) Lib. 6. de præparat. Evang. c. 1.

ſo, quis illius poſſet declinare inſidias? Non poſſe, vel ipſi Magi fatentur, qui ab ipſo dæmone ſe deſertos fuiſſe teſtantur, ubi illius eguiſſent auxilio. Ita pactum cum dæmone expreſſum impugnant.

Ego vero in contrarium aſſero & dæmonem apparere hominibus, & homines cum dæmone poſſe paciſci. Utrumque & ſacrarum Scripturarum evincunt oracula, & SS. PP. effata, & Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria. Quando Salvator noſter quadraginta diebus & noctibus in deſerto jejuniis & orationi vacabat, ſcribit Evangeliſta (*p*): *Accedens tentator dixit ei: Acceſſit* (ait Ven. Beda (*q*) *per aſſumtam ſpeciem tentandi permiſſione, qui longe erat voto malitiæ.* Lege ſis etiam hiſtoriam Cypriani & Juſtinæ Martyrum Art. 6to citatam, lege vitam Antonii & Hilarionis Abbatum a SS. Athanaſio & Hieronymo conſcriptam, & leges ſæpiſſime dæmonem apparuiſſe hominibus. Pactum denuo ex Evangeliis diſcimus, in quibus iſta narrantur (*r*): *Aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei: hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Nunquid hæc verba denotant dæmonem cum Chriſto paciſcentem? Vel edic: nonne contractus in jure innominatus eſt: *Do, ut facias?* Quamvis Chriſtus ex parte altera oblatam ſibi hanc gloriam repudiaverit. Lege eandem Hieronymi hiſtoriam ſupra adductam, in qua ſe juvenis devovit diabolo, ea tamen conditione, ut Virginem, quam deperibat, ad ſui amorem pelliceret. Quid, quæſo, ad rationem pacti hic deficit?

Plus meo conducit propoſito hiſtoria relata a Surio ex Metaphraſte ſequentis tenoris (*s*): Erat Theophilus quidam Oeconomus Adanenſis Eccleſiæ Vir & morum probitate, & rerum agendarum dexteritate conſpicuus. Is (ut commune hominibus vitium eſt detractio) innocenter apud Epiſcopum denigratus non tantum famæ, ſed & muneris naufragium paſſus eſt. Ægerrime caſum hunc ferebat Theophilus, & vindictæ ſtimulis excitatus (quo enim non impellit immoderata triſtitia?) flectere cum ſuperos non poſſet, Acheronta movere conſtituit. Judæum proin artis magi-

(*p*) Matth. 4. v. 3.
(*q*) Tom. 5. in c. 4. Matth.
(*r*) Matth. 4. v. 8. & 9.
(*s*) Tom. 1. menſis Febr. die 4ta.

magicæ peritiſſimum concubia nocte accedit, cauſam adventus explicat, auxilium poſtulat. Is conſolatus Theophilum dimittit ea tamen lege, ut nocte poſtera rediret præſentaneum experturus auxilium. Theophilus ſequentem noctem vix expectans præ gaudio denuo Magum domi inviſit. Nec mora: ab illo ad forum publicum ducitur, ubi reſidentem in ſolio dæmonem cernit auguſta veſte circumdatum infernalibus aulicis utrumque latus ſtipantibus. Interrogatur Magus a Principe, cujus generis hominem adduxiſſet. Ille rei ſeriem per ordinem narrat, contra hoſtes auxilium flagitat. Confeſſus diabolici Princeps illud polliceri non dubitat, ſi tamen prius Chriſtum ejusque Matrem Virgineam non verbo tantum, ſed & ſcripto abnegaſſet abdicato omni ad cœlum jure. Conſentit Theophilus, & ſic oſculis utrinque datis & acceptis ſolatio plenus dimittitur, triumphantur hoſtes, patet innocentia, officio ſuo reſtituitur. Sed (quæ Dei eſt gratia) poſtmodum facti pœnitens amaris culpam lachrymis deplorabat ope Matris Virginis receptus in gratiam, in qua usque ad ſanctam mortem perſeveravit. Ne de hiſtoriæ veritate quis dubitet, Eutychianum Theophili famulum teſtem, & de auditu & viſu illius ſcriptorem fuiſſe recogitet. In hoc ſane pactum cum dæmone expreſſum eſt cernere. Qui plura deſiderat, Bollandiſtas conſulat (*t*).

At: an diabolus ſponte & ultro, an per incantationes magicas coactus apparet? Quæſtioni huic, ſi liceat, nova quæſtione reſpondeo: An Satanas tentans Chriſtum in deſerto ſponte libera apparuit, an coactus per operationes magicas? Secundum reſpectu Chriſti non dices ſine blaſphemia, ergo dicendum eſt primum.

Sed diabolus reprobatus eſt ſpiritus & orco æternum mancipatus: bene habet; ſed an talis non erat, quando Chriſtus in deſerto vivebat? Cur ergo illi apparuit? Specialiter, inquies, permittente Numine: id dico & ego; ſed cur permiſit in viſibili ſpecie tentari filium ſuum a dæmone, & cur non permittat alios tentari homines in eadem figura? Ratio nempe diſparitatis eſt, quia per Chriſtum fracta eſt potentia dæmonis. Itane vero? ergo fregit Chriſtus poteſtatem diaboli, ne appareret aliis, non fregit, ne

(*t*) Tom. 1. menſis Februarii die 4.

appareret & ſibi? An Antonius, Hilarion, Theophilus, aliique ante Chriſtum fuere? id dicere nunquam licebit, & tamen fracta jam ſua poteſtate his Viris apparuit Athanaſio, Hieronymo, & Surio teſtibus.

Si dicas ſine Manichæorum errore id Deum non poſſe permittere, quæro, an Evangeliſta Matthæus, Athanaſius, Hieronymus, & alii Manichæi fuerint. Si enim repugnat divinæ Bonitati permittere, ut viſibiliter dæmon appareat, mentitur & Scriptura, & Patres; ſi vero hac apparitione permiſſa duo debent defendi rerum principia bonum unum, alterum malum, & Spiritus ſanctus, & Athanaſius, & Hieronymus Manichæi fuere.

Verum dices: divinis utique perfectionibus repugnat, ut Deus pravis unius vetulæ deſideriis moveatur, ut in creaturas a ſe ſolo conditas dæmonem graſſari permittat, Argumentum non capio: ergo Chriſtus in porcos a ſemetipſo conditos nunquam permittere poterat, ut ingrederentur diaboli? quod tamen Evangeliſta teſte permiſſum eſt (*u*). Ergo perfectionibus divinis erat contrarium, ut ad ſatiandam Herodis ſævitiam tot infantes Deus occidi permitteret? quod permiſſum eſt tamen (*x*). Ergo nullum peccatum Deus poteſt permittere, quin ſuis perfectionibus deroget? Ego ſuaderem potius, ut illud recogitemus Apoſtoli (*y*): *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Liberi arbitrii homo eſt, unde illum ſponte & voluntarie in inferna labentem Omnipotens Dei manus non tenetur attollere. Sapientiſſime proin nos monet, docetque Gregorius Magnus, quod voluntas diaboli ſit equidem injuſta, poteſtas vero ipſi a Deo conceſſa juſtiſſima (*z*): *Ipſe dicitur ſpiritus malus per nequiſſimam voluntatem, & idem ſpiritus Domini per acceptam juſtiſſimam poteſtatem.*

Nec Veritas tangitur, dum Deus a pravis alicujus vetulæ deſideriis ad ſimilem permiſſionem moveri exiſtimatur. E principiis ſiquidem Theologicis tanquam certum ſuppono, nullam quamcunque demum creaturam divinæ voluntati poſſe eſſe motivum, quidquid enim Deus vult, volendi motivum ſibimetipſi eſt, quam-

vis

(*u*) Matth. 8. v. 32.
(*x*) Matth. 2. v. 16.
(*y*) Rom. 9. v. 20.
(*z*) Tom. 2. lib. 18. moral. c. 3.

vis propterea nequaquam inficiari intendam aliquid creatum cauſam poſſe eſſe moralem alicujus effectus a Deo voliti, ut merita ſunt cauſa moralis gloriæ; non vero ſunt cauſa decreti prædeſtinativi ad gloriam, ut in terminis D. A. adſtruit (*a*): *Reſpondeo dicendum, quod cum prædeſtinatio includat voluntatem (ut ſupra dictum eſt) ſic inquirenda eſt ratio prædeſtinationis, ſicut inquiritur ratio divinæ voluntatis ex parte actus volendi, ſed poteſt aſſignari ratio ex parte volitorum, in quantum ſcilicet Deus vult eſſe aliquid propter aliud. Nullus ergo fuit ita inſanæ mentis, qui diceret merita eſſe cauſam divinæ prædeſtinationis ex parte actus prædeſtinantis. Sed hoc ſub quæſtione vertitur, utrum ex parte effectus prædeſtinatio habeat aliquam cauſam.* Unde ſimilia hinc inde permittit vel ad exercitium patientiæ, ut in Jobo a dæmone nimium quantum afflicto videmus, vel in criminum pœnam, juſtamque vindictam: Unanimis ſiquidem Theologorum doctrina eſt peccatum ſubſequens permitti in pœnam præcedentis, vel ob alios Providentiæ fines nobis incognitos.

Non tamen propterea timendum eſt ſingulis præſertim ſigno Crucis munitis pieque viventibus. Poſt Chriſti ſiquidem paſſionem & mortem reſtricta eſt poteſtas diaboli, nec tantum ſævire permittitur, quantum ſævire deſiderat, nec toties amplius in aſſumto corpore illi apparere conceditur, quoties inter Gentiles verſatus eſt. Nec per idololatriam amplius gentes illi datur ſeducere, ſicut Domino nondum paſſo in carne ſeduxerat. Unde & Athanaſii verba ſoluta ſunt. Habemus ergo permittente Numine dæmonem præſentem ſe ſiſtere ſponte & ultro.

Sed & per incantationes magicas vocatus apparet, ſic enim apparebat Theophilo. Sed, inquis, res iſtæ corporeæ nec allicere dæmonem queunt, nec pellere, utpote qui merus eſt ſpiritus.

Antequam ad hoc tibi reſpondeam, ſcrupulum movere conabor e libro Tobiæ deſumtum, in quo iſta narrantur (*b*): *Tunc dixit ei Angelus, exentera hunc piſcem, & cor ejus, & fel, & jecur repone tibi, ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta utiliter, quod, cum feciſſet, aſſavit carnes ejus, & ſecum tulerunt in via, cætera ſalierunt, quæ ſufficerent eis, quousque pervenirent in Rages civitatem Medorum.*

(*a*) D. A. 1. p. quæſt. 23. A. 5. in ⊙. (*b*) C. 6.

Tunc interrogavit Tobias Angelum, & dixit ei: obſecro te Azaria frater, ut dicas mihi, quod remedium habebunt iſta, quæ de piſce ſervari juſſiſti? & reſpondens Angelus dixit ei: cordis ejus particulam, ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum ſive a Viro, ſive a Muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. Fumus hic erat corporeus, & tamen fugare dæmonem poterat, quod & factum eſt, nam ita inferius pergit ſacer Hiſtoricus (*c*): *Recordatus itaque Tobias ſermonum Angeli protulit de caſſidili ſuo partem jecoris, poſuitque eam ſuper carbones vivos, tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & relegavit illud in deſerto ſuperioris Thebaidis.*

Sed, inquies, hæc omnia non contigere virtute rei corporeæ, ſed Deus tantummodo fumum hunc pro ſigno elegit, quo poſito Archangelus Raphael abigeret dæmonem. Non abnuo: cur autem non & mihi liceat dicere: ſimilia verba, vel incantationes magicas ſigna eſſe ſtatuta a dæmone, quibus poſitis ſponte ultroque appareat: repetenda ſnnt mihi verba Magni Aurelii jam ſuperius copioſe adducta: *Illiciuntur autem dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipſi, ſed Deus condidit, delectabilibus pro ſua diverſitate diverſis non ut animalia cibis, ſed ut ſpiritus ſignis.* Quid ſi dicerem, quod ſicut hoc poſito fumo Archangelus Raphael religavit dæmonium, ita pariter poſitis incantationibus magicis dæmon ſuperior inferiorem ad præſentiam cogat? Quamvis enim inter Angelos reprobos vera Hierarchia non ſit, illorum regimen tamen ex imperantibus & obedientibus conſtat. Quid ſi dicerem, quod ſicut fumus Tobiæ non naturali, ſed divina virtute fugavit dæmonem, ita Amuleta non ſua, ſed virtute Eccleſiæ diabolos abigant, illa præſertim, quæ iis componuntur ex rebus, quæ ſpecialiter ab Eccleſia benedicuntur? Unde Amuleta omnia nequaquam contemnenda eſſe exiſtimo.

Inter ſpiritum & corpus proportionem non eſſe veriſſimum eſt, ſed quid inde infertur? An fors propterea ſpiritus non agat in corpus? minime; nam certe anima mea ſpiritus eſt, & tamen continuo & quidem ſuo pro libitu ad varias actiones corpus determinat. Certe diabolus, cujus in libro Tobiæ fit mentio, ſpiritus erat,

(*c*) C. 8.

erat, & tamen ſeptem maritos Saræ occidit (*d*). Imo & corpus agit in ſpiritum; ignis ſiquidem infernalis corporeus eſt, & tamen dæmones torquet, qui meri ſunt ſpiritus: ergo & ſpiritus agunt in corpora, & in ſpiritus corpora. Si quæras: quomodo? ignorare me fateor, fors optima eſt Auguſtini reſponſio his omnibus applicanda, quam ille de ſolo infernali igne intelligit, quod ignis corporeus torqueat dæmones *veris*, *ſed miris modis*.

Illud vero prorſus non capio, quod dicant dæmoni infirmo & in inferis captivo ſpiritui omnem fuiſſe poteſtatem ademtam. An ergo exiſtimant dæmones omnes eſſe clauſos in inferis? Id ſi eſt, cur ergo nos ſæpiſſime monet Apoſtolus, ut caveamus, ne in tentationem incidamus, & in laqueum diaboli? Si in inferno detinetur hic ſpiritus, quæſo, qua tuba ſtentorea indigebit, ut tentare nos poſſit? Si in inferno ligatus eſt, cur clamat Petrus Apoſtolus (*e*): *Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret?* Cur ad luctam difficilem nos animat Paulus dicens: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes & Poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus?* Ergo a primo ad ultimum non repugnat in aſſumto corpore apparere diabolum, nec repugnat hominem cum diabolo expreſſe paciſci.

Jam juvat ad tacitum cum dæmone pactum deſcendere. Pactum hoc in eo conſiſtit, ut dæmone etiam viſibiliter non apparente per hujus vel alterius rei uſum mira patrentur. Sed neque hoc, inquiunt, poſſe ſubſiſtere: vel enim res ipſæ, quibus utimur, ex natura ſua ſunt proportionatæ effectibus, & vires habent ad illos producendos idoneas? & ſic diabolicum pactum per ſe evaneſcit, vel vires non habent huic effectui pares? & eſt apertum miraculum, cum ſolius Dei ſit rerum mutare eſſentias, ac naturas invertere.

Hoc argumentum, quamvis æſtimetur a multis, mihi tamen demonſtrativum non eſt. Ajo ſiquidem, res, quibus homines ſuperſtitioſi utuntur, ex natura ſua effectui proportionatas non eſſe, quamvis aſſeram, quod, quamprimum etiam dubitari prudenter

 poteſt,

(*d*) C. 6. (*e*) 1. Petr. 5.

poteſt, an effectus naturæ viribus poſſit adſcribi, etiamſi nobis videatur mirabilis, tribuendus naturæ ſit. Non tamen per hoc pactum diabolicum tollitur. Si enim inter omnes Philoſophos convenit, ac rerum expertos medium aliquod cum rei eventu naturalem connexionem habere non poſſe, ex altera vero parte e Scriptura & SS. Patribus conſtet Deum nil ſimile unquam revelaſſe; & ſi variæ cæremoniæ inſuper adhibeantur, & eventus tamen interea ſecutus ſit; amabo, cuinam id alteri, quam diabolo tribuas? Liceat mihi exemplum ponere in Virgula divinatoria: ſcio hanc & inveniendis aquis, & detegendis argenti fodinis eſſe aptiſſimam, & a Viris in hac re expertiſſimis & jure quidem merito adhiberi. Sed an ad detegendos fures, homicidas, aliosque hujus furfuris homines eodem etiam modo applicari poteſt? non puto, & tamen mihi libellus eſt, ubi integra narratur hiſtoria, quod hujus Virgulæ ope, terra marique homicidas ſint inſecuti, imo & aſſecuti. Explicet mihi hoc quispiam naturaliter, explicari ſi valeat. Hoc tamen hac in parte lubenter dandum exiſtimo a Confeſſariis nonnullis in Phyſica minus expertis plura ſuperſtitionibus tribui, quæ tamen naturæ vires nequaquam excedunt.

Plus difficultatis alterum patitur, an nempe ſagæ vel lamiæ phyſice ad ſuos ſaltus transferantur a dæmone. Antequam ad iſta reſpondeam, lectorem benevolum præmonitum velim, me nequaquam ejus eſſe ſententiæ, ut omnes hiſtorias, quæ de ſimilibus circumferuntur, velim eſſe de fide, imo ultronee fateor millenis deceptionibus rem eſſe obnoxiam. Imo cum modernorum ſyſtema ſit mulieres hujusmodi ſine vero miraculo a dæmone ne quidem poſſe transferri, optime meo perfungar officio, ſi duntaxat oſtendero translationem hanc diabolicas vires nequaquam tranſcendere.

Audiamus ergo, quæ in contrarium ſapiant: inprimis unguentum, quo certas corporis partes ungere ſolent, ut transferantur ad ſaltus, ajunt ex meris ſpeciebus eſſe compoſitum, quæ ſomnum concilient. Adducunt nonnullas hiſtorias, e quibus certum omnino eſt mulieres ejusmodi vel in lecto vel prope feneſtram fuiſſe inventas, ubi tamen putabant ſe alio translatas fuiſſe.

Jam hæc, ſi bene attendas lector benevole, ad ſummum pro-

probant mulieres has non transferri ad ſaltum, non vero probant transferri non poſſe. Dein nullus hucusque dixerit, unguentum, cujuscunque demum naturæ ſit, ejus efficaciæ eſſe, ut illius ope corpus de loco transferatur ad locum. Dici tamen fors poſſet unguentum hoc meram eſſe conditionem ſtatutam a dæmone, qua poſita ille fœminam, vel marem transferat de loco ad locum. Quod unguentum hoc e rebus ſoporiferis componatur, non abnuo, id tamen eſt, quod minus intelligo, quomodo tam celeriter, & quaſi in ictu oculi ſomnum conciliet. Medicus ego non ſum, ſed tamen difficile autumo in tota medicina potum poſſe componi, qui illico ſomnum conciliet. Dein quid ad conciliandum ſomnum & quidem inſtantanes faciat ſanguis puerorum, quos nondum ſacra baptiſmatis unda abluit? an ſanguis iſtorum facilius ſomnum conciliet, quam ſanguis jam baptizati infantis? cur hic ſanguis majori in copia adhiberi jubetur? an non ſufficerent reliquæ ſpecies, quas natura ipſa conciliando ſomno aptavit?

De hiſtoriis mirum eſt, mentionem quod faciant, cur enim ego aliique ſententiæ meæ Patroni iſtis hiſtoriis numero paucis fidem adhibeam, ubi Adverſarii noſtri contrariis numero multo majoribus per Judices & profanos & ſacros centies confirmatis fidem ſimpliciter denegant? Imo ſi ex hiſtoriis lubeat argumenta depromere, de transactione cum Adverſariis omnino juſtiſſima non deſperarem. Eja ad rem. Illi dicunt mulieres ſæpius in lecto vel prope feneſtram fuiſſe inventas altiſſimo ſomno oppreſſas, ubi putabant ſe neſcio quo translatas fuiſſe. Pace mea hæc vera ſint; qui autem partem tuentur contrariam alias easque innumeras hiſtorias afferunt, quod ſimiles lamiæ reipſa & phyſice & quidem per maxima ſpatia fuerint translatæ a dæmone. Stabiliunt hoc innumeris Virorum omni exceptione majorum teſtimoniis, adducunt teſtes tam de viſu. quam de auditu. Jam his omnem prorſus fidem negare videtur ſatis difficile, ne quid aliud dicam. Quid ergo exinde ſequitur? Hoc ſcilicet puto legitime poſſe inferri mulieres has execrabiles ſubinde illudi a dæmone, ut putent ſe eſſe, ubi non ſunt, dum in lecto altiſſime dormiunt, ſubin vero phyſice transferri ad ſaltus, ſic enim teſtibus in utramque partem contrariis honos eſt.

Aſt

Aſt id dici nequaquam poteſt, obſtat enim Jus ſacrum C. 26. quæſt. 5. cap. 12. expreſſe præcipiens, ut Sacerdotes omni diligentia populum inſtruant falſa eſſe hæc omnia, & non a divino, ſed maligno ſpiritu hæc phantaſmata originem trahere, vi cujus ſceleratæ mulieres exiſtiment ſe cum Diana paganorum Dea aut Herodiade ſuper varias beſtias equitare, & nocturno tempore multa terrarum ſpatia pertranſire. Ex mente igitur ipſius Eccleſiæ falſum eſt fœminas phyſice transferri a dæmone.

Hic Adverſariorum Achilles eſt, qui, ut ſternatur, ad varia oportet attendi; ac inprimis quidem hic textus ad ſummum actualem translationem negat, poſſibilitatem non negat; ego vero potiſſimum poſſibilitati inhæreo. Dein an huic Capitulo quidquam deferendum ſit, lectoris judicio relinquendum exiſtimo, ex decreto ſiquidem Gratiani deſumtum eſt, quod ſane juxta modernam criſin authoritatibus apocryphis plenum eſt. Sane ſi omnia in decreto Gratiani contenta genuina eſſent, veraque, majori certe cum reverentia de Romano Pontifice nonnulli loquerentur, & ſcriberent. Dein quod hoc Capitulum mihi magis ſuſpectum reddit, illud eſt, quod nonnulli ex Concilio Ancyrano, nonnulli ex Acquirenſi deſumtum velint. Apud Binium (*f*) equidem in Concilio Ancyrano inveni, ſed in delectu Actorum univerſalis Eccleſiæ (*g*) nec jota deprehendere potui; unde datur intelligi Canonem hunc Concilio fuiſſe ſuppoſitum. De Concilio vero Acquirenſi omnino nihil inveni. Ne vero difficultatem fugere videar, dicendum omnino eſt ſceleratis hisce mulieribus, quarum in præfato Canone mentio fit, illudi a dæmone, non enim poſſunt cum Diana vel Herodiade de nocte vagari, cum utraque in inferno exiſtens ad æternas damnata ſit tenebras, nec poſſunt ſuper veras beſtias tanta celeritate tot locorum ſpatia pertranſire, non enim naturales beſtiarum vires ſufficerent. Illuduntur etiam a dæmone, dum Dianæ vel Herodiadi quidquam credunt divinitatis ineſſe. Sed an propterea luduntur & aliæ, quæ equidem ſciunt dæmonem non Deum, ſed Dei hoſtem exiſtere? quæ ſciunt non vero ſe animanti inſidere, ſed dæmoni in corpore aſſumto apparenti? Non ergo Canon translationem phyſicam

(*f*) Tom. 1. part. 1. (*g*) Edit. Lugdun. anno 1707.

ſicam negat, ſed quam illæ mulieres prætendebant, phantaſticam aſſerit.

Verum hæc translatio phyſica legibus eſt naturæ contraria, corpus hominis etenim ad minus ducenties gravitatem aeris ſuperat, unde vel humano corpori adimi gravitatem oportet, vel gravitatem aeris ſecundum proportionem augeri, utrumque autem ſine manifeſto miraculo fieri non poteſt. Hujus vero capax dæmon non eſt. Jam dixi, ſi de modo interroges, quo iſta contingant, ignorare me fateor; ſed nec mea, nec aliorum ignorantia rei poteſt impedire ſubſtantiam. Corpus meum grave eſt, ſcio, ſed ſimul experior practice, quod anima mea, quæ merus eſt ſpiritus, corpus meum ad varios motus ſurſum & deorſum determinet. Sæpe anima corpus ad altiſſimi montis aſcenſum determinat. Jam liceat quærere, an anima hoc in caſu adimat gravitatem, an vero gravitatem aeris augeat? quod mihi reſponſum fuerit, dæmoni applicari fors poterit. Jam ſi hoc poteſt hominis anima, cur non poſſit diabolus? an infirmiorem illum putamus, de quo tamen Jobus non dubitabat ſcribere, quod nulla ſit in terra poteſtas, quæ illius poſſit æquiparari potentiæ? Certe propria experientia didici, quod adhucdum puer lapidem aere multo graviorem ad magnam projecerim altitudinem, imo e machinis bellicis conſtat, quod globus plumbeus humano ſæpe corpore gravior ad ſtupendam omnino, & vix hominibus viſibilem altitudinem attollatur ope pulveris pyrii; cur ergo negandum id dæmoni? Si Scripturam velimus conſulere, hujusmodi translationis exempla non deſunt. Habacuc ſiquidem Prophetam ad Danielem in leonum carcere clauſum Angelus transtulit (*h*), imo & in novo Teſtamento Philippum Diaconum ſpiritus Domini Azotum rapuit (*i*).

Sed dices: hoc a bonis Angelis factum eſt. Quid poſtea? permittente Numine idem naturaliter poſſunt mali, quod boni. Nam poſt peccatum (ut communis fert Theologorum ſententia) naturalia in Angelis integra permanſerunt.

Sed dices in utroque caſu interveniſſe miraculum. Ex parte non repugno, in hoc erat miraculum, quod Deus ad Danielem

(*h*) Daniel. 14. (*i*) Act. 8. v. 39. & 40.

hoc modo prandium miſerit omnino ipſi, totique naturæ indebitum, idem de Philippo dicendum eſt; non enim debebatur Azotiis, ut ipſis & quidem tanta celeritate lux evangelica per Philippum clareſceret. Si vero ipſam translationem ſpectes, miraculoſa non erat utpote viribus Angeli commenſurata. Ut veritatem hanc melius capias, ad Evangelium Marci progredior (*k*), in quo maligni ſpiritus duo porcorum millia in mare egiſſe ſcribuntur, ergo poſſunt dæmones corpus de loco transferre in locum. Res omnino clareſcit in ipſo corpore Salvatoris, de hoc enim ſcribit Matthæus (*l*), quod aſſumpſerit ipſum diabolus, & ſtatuerit ſuper pinnaculum templi. Poſtea vero in montem excelſum valde transtulerit.

Dices forſan: id phantaſtice contigiſſe, ſed quæſo, quid juris diabolo in phantaſiam interiorem Chriſti?

Inquies ulterius: non rapiendo per aera, ſed pedibus ambulando id factum eſſe. Aſt repugnat Scriptura dicens: *Aſſumpſit eum diabolus, & ſtatuit ſuper pinnaculum templi.* Si ambo pedibus inceſſiſſent, quomodo dici poſſet, quod diabolus eum ſupra pinnaculum templi *ſtatuerit:* nonne ſtatuiſſet ſemetipſum? Enimvero phyſicam hanc translationem fuiſſe ſupponit ex S. Chryſoſtomo S. Thomas (*m*): *Dicendum, quod ſicut Chryſoſtomus dicit, forſitan diabolus quantum ad ſe, ſic Chriſtum aſſumebat in pinnaculum templi, ut ab omnibus videretur, ipſe autem neſciente diabolo ſic agebat, ut a nemine videretur.* Id pariter ſupponit Gregorius Magnus (*n*): omnino dicens id mirandum non eſſe, quod Chriſtus a diabolo in pinnaculo templi ſtatutus ſit, qui a diaboli membris ſe crucifigi permiſit. Poſſibile ergo eſt, ut diabolus lamias de loco ad locum transferat, quamvis, quo modo id fiat, procul dubio neſciamus.

Tranſeamus ad fulmina, ventos, & grandines, quæ naturæ phœnomena ope magica oriri poſſe Adverſarii negant. Sic enim naturæ opera mulieris cujusdam ſubjiceremus malitiæ, & Deus naturæ leges infringeret, ut peſſima mulier vindictam poſſit exercere in proximum. Sane naturales hos eſſe effectus a vaporibus terræ exortos, quos adſcribere dæmoni ridiculum eſſet. Hoc agnoſcere

(*k*) C. 5.
(*l*) C. 4.
(*m*) 3. p. quæſt. 41. A. 4. ad 7.
(*n*) Tom. 3. hom. 16. in Evang.

ſcere Eccleſiam ipſam, quæ, quamvis oret pro avertendis fulminibus, nullam tamen ſagarum ingerit mentionem.

Hoc argumentum non ejus mihi roboris eſt, cujus forſan Adverſarii autumant. Nec meum eſt multis defendere, an ſimilia actu ope dæmonis fiant, ſed tantum fieri an poſſint. Antequam vero reſpondeam, ſit mihi licitum quærere, an Deus naturæ opera ſubjecerit dæmoni, an naturæ leges infregerit, quando diabolo in Jobi bona & liberos ſæviendi poteſtatem conceſſit? Sacer textus ſic habet (*o*): *Ignis Dei cecidit e cœlo, & tactas oves, puerosque conſumpſit, repente ventus vehemens irruit a regione deſerti, & concuſſit quatuor Angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos & mortui ſunt.* Quid ergo ad iſta? ſi ad ſatiandam malitiam dæmonis, ſeu potius ad tentationem juſti Deus iſta permiſit, cur ad peccatorum vindictam non poſſit permittere? Recogita, quæ ex Magno Gregorio ſupra adduxi: injuſta ſiquidem & peſſima & ſagæ & dæmonis id cupientis voluntas eſt, ſed juſtiſſima eſt poteſtas permittentis id Numinis. Nec curioſus indaga, cur id Deus permittat, nam nemo Conſiliarius ejus fuit.

Profecto Angelorum malorum poteſtas etiam e Pſalmis elucet, ubi ita Propheta regius (*p*): *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram, & tribulationem immiſſiones per Angelos malos:* ubi notandum eſt, quod idem Pſalmiſta antecedentibus verſibus etiam grandinis mentionem injecerit (*q*): *Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina, & tradidit grandini jumenta eorum, & poſſeſſionem eorum igni.* In quæ verba aptiſſime Auguſtinus (*r*): *Immitti per eos* (nempe dæmones) *immiſſionem ſuper quoslibet a Domino Deo, quos hac pœna judicat dignos, durum videtur eis, qui minus idonei ſunt cogitare, quemadmodum ſumma Dei juſtitia bene utatur & malis - - - Utitur ergo Deus Angelis malis non ſolum ad puniendos malos, ſicut in iſtis omnibus, de quibus loquitur Pſalmus, ſicut in Rege Achab, quem fallaciæ ſpiritus ex Dei voluntate ſeduxit, ut caderet in bello; verum etiam ad probandos & manifeſtandos juſtos, ſicut fecit in Job. Quod autem pertinet ad iſtam materiam corporalem viſi-*

(*o*) Job. 1. v. 16. & 19.
(*p*) Pſal. 77. v. 49.
(*q*) v. 47. & 48.
(*r*) Tom. 8. in Pſalm. 76.

bilium elementorum, puto, quod ea poſſint uti Angeli boni & mali, quantum cuique poteſtas eſt. - - - In libro autem fideliſſimo legimus diabolum potuiſſe etiam de cælo ignem immittere ad ſancti Viri tantum pecorum numerum mirabili & horrendo impetu conſummendum, quod diabolo tribuere nemo fidelium fortaſſis auderet, niſi ſanctæ Scripturæ authoritate legeretur. Potuit ergo Auguſtino imo Scriptura teſte permittente id Numine immiſſa diabolus grandine vaſtare vineas, occidere pecora, & cur id modo non poſſit? an forte non amplius juſti ſunt, quos Deus probet? nec mali ſunt, quos puniat vindex? Hoc equidem certum eſt verba vel ſigna magica excitare tempeſtates non poſſe, ſed hæc tantummodo ſigna ſunt, quibus poſitis diabolus ſuam, quam Deus permittit, poteſtatem exerceat.

At grando, fulmen, fulgur effectus naturæ ſunt: quid tum? an Ægyptiorum grando naturalis non erat? ſi talis non erat, quomodo immiſſa a dæmone, qui ſupra naturam operari non poteſt? Quid, quæſo, magis naturale, quam pluvia? & tamen ingruente ſiccitate etiam proceſſiones publicæ inſtituuntur, ut pro pluviis Deo ſupplicemus. Imo cum effectus hi naturales ſint, eo facilius ſe ad illos dæmonis poteſtas extendit, qui totum hoc univerſum etiam ſupercomprehendit. Si quæras denuo, qua ratione id fieri poſſit, cum eodem Auguſtino reſpondeo (*s*): *Claret igitur iſta hominibus fieri per bonos & malos Angelos poſſe, quid aut quando fieri oporteat, me latet; illum vero, qui facit, non latet, & cui voluerit revelare.*

Eccleſia vero in ſuis precibus pro avertendis tempeſtatibus equidem ſagarum non meminit, utpote quæ viribus ſuis nocere non poſſunt, meminit tamen diaboli, cujus ope nocere intendunt: in rituali ſiquidem Romano juſſu Pauli quinti edito iſta invenio (*t*): *Nihil proficiat inimicus in nobis, & filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* Quis eſt inimicus iſte, quis filius iniquitatis niſi diabolus? Dein ſecunda oratio contra tempeſtates eſt iſta: *A domo tua, quæſumus Domine, ſpirituales nequitiæ repellantur, & aerearum diſcedat malignitas tempeſtatum.* Non ergo cenſet Eccleſia tempeſtates non poſſe oriri a dæmone.

Quod Adverſarii ſimplicem populum carpant, quod quoscunque

(*s*) l. ſ. c. (*t*) Pag. 297.

cunque caſus adverſos ſive in jumentis, ſive in hominibus diaboli miniſterio tribuant, lubens adſtipulor, ſervandam enim ſine dubio regulam Theologorum exiſtimo, quod quamdiu effectus quispiam naturæ poteſt adſcribi, quamvis explicari modus pro certo non poſſit, naturæ tribui debeat; hinc paralyſin, febres, deliria, aliosque morbos, quos Medici naturales eſſe conjectant, nequaquam arti diabolicæ tribuo, ſi tamen & Viri prudentes, & in medica arte periti poſt maturam deliberationem clare ediſſerant hos effectus vires naturæ tranſcendere, nullus dubito, quin id Magiæ poſſit adſcribi. Certe e Scriptura didicimus, quod Angeli mali hominibus poſſint morbos immittere, ſic dæmon Jobum percuſſit ulcere peſſimo (*u*): ex eadem Scriptura habemus, quod permittente Numine in jumenta deſæviant. Idem Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria in actis Cypriani & Juſtinæ Martyrum (*x*) ſupra adductis. Id etiam affirmat Hieronymus in vita Hilarionis Abbatis, in qua etiam Camelum invenies miſere agitatum a dæmone.

Nec dicas quoscunque Viros etiam Medicos præjudiciis faſcinatos eſſe. Nam certe injuriam infers tot Viris omni exceptione majoribus: Authores enim, qui omnia maleficia negant in comparatione illorum, qui adſtruunt, pauciſſimi ſunt, modiciſſimique. Unde in his & ſimilibus caſibus ad ſpiritualia remedia poſſe recurri non ambigo, quamvis enim ipſus optarem, ut Sacerdotes toties repetitis benedictionibus parcerent, ne ſacræ hæ preces in caſu tantum neceſſitatis adhibendæ propter frequentiam coram plebe vileſcant, ſimpliciter tamen eliminandas non autumo.

Quod vero ipſa Eccleſia nullum agnoſcere maleficium velit, nullasque preces præſcribat, non videtur omnino veritati conforme. Si enim vel Jus Canonicum, vel Theologiam moralem inſpicias, invenies impotentiam exercendi copulam conjugalem etiam ex maleficio ortam, ſi perennis ſit, impedimentum eſſe matrimonium dirimens; hinc in eodem Rituali Romano benedictionem thalami legimus (*y*). In benedictione ſalis ita orat Eccleſia (*z*): *Exorcizo te creatura ſalis per Deum verum - - - ut effugiat, atque diſcedat*

(*u*) C. 2. (*y*) Pag. 231.
(*x*) C. 1. & Pſalm. 77. (*z*) Pag. 225.

ſcedat a loco, in quo aſperſum fueris, omnis phantaſia & nequitia vel verſutia diabolicæ fraudis, omnisque ſpiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. In benedictione aquæ ſic habet (*a*): *Exorcizo te creatura aquæ, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare valeas cum Angelis ſuis apoſtaticis.* In oratione ſubſequa orat Deum, *ut creatura tua miſteriis tuis ſerviens ad abigendos dæmones, morbosque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum, ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur a noxa. Non hic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici &c.*

Reſtat adhuc unicum, quod ope magica fieri poſſe Adverſarii negant, nempe omnino impoſſibile credunt, ut ſaga per incantationes ſuas dæmonem in corpus proximi intrare compellat. Vel enim id permittente Numine fieret, & Deus ad magicas artes cooperaretur, vel Deus ad voluntatem impiam ſagæ dæmoni intrandi hoc corpus poteſtatem concederet? & ſic divinæ permiſſiones pravis ſagarum affectibus ſubjacerent.

Sed non eſt, ut divinis quidquam perfectionibus timeamus, e Scriptura ſiquidem clareſcit hominem ea ſubin præditum eſſe potentia, ut dæmoni in corpus alterius poteſtatem concedat, ſic Paulus inceſtuoſum illum Corinthium tradidit Satanæ in interitum carnis (*b*), *hoc eſt*, inquit Theophylactus (*c*), *ut morbo eum maceret, & tabeſcere faciat - - - metam autem diabolo ſtatuit, æque atque in divo Jobo, ut corpus tantum, non autem animam attingat.* Idem Apoſtolus Hymenæum & Alexandrum in fide paſſos naufragium dæmoni ſubdidit (*d*), hoc autem a Paulo factum eſſe idem Theophylactus exiſtimat (*e*): *Ut cum vehementia & atrocitate pœnæ major ſit contumelia, atque ut oſtendat ſe Satanæ imperare, ut ex eo majorem eis terrorem & metum incutiat.* Pro aliis vero, quos non ut Apoſtolum Dei Spiritus armat, ſed Princeps tenebrarum gubernat, ſolicite caveas velim, ne unquam exiſtimes ſine permiſſione divina fieri quid

(*a*) Pag. 226.
(*b*) 1. Cor. 5.
(*c*) in 1. Cor. 5.
(*d*) 1. Tim. 1.
(*e*) in 1. ad Tim. 1.

quid poſſe. Mentem pariter pondera Magni Gregorii ſupra adductam, quod quidem injuſta ſit dæmonis, ſagæque voluntas, juſtiſſima tamen poteſtas conceſſa a Domino. Jam ut diabolus in humano corpore habitet, ſæpe diſponente fieri Numine poteſt ad probationem juſtorum, ſæpe puniente Numine, ut ſpiritus nequam exagitaverat Saulem, ſæpe etiam permittente Numine ſive ad probationem juſti, ſive pœnam injuſti per magicas incantationes, non quaſi per illas dæmon coactus exiſteret, ſed quia lubenter in humano corpore habitat, ut ex Evangelio Marci diſcimus (*f*), ubi maligni ſpiritus in gregem porcorum immitti petebant, cum expellerentur ab homine. Neque propterea Deus artis magicæ cooperator exiſtit, cum ingreſſum hunc dæmonis non teneatur avertere. Certe peccata hominis omnia Deus modo facillimo impedire poſſet; cum vero nequaquam impediat, an propterea cooperator exiſtet? Concurrit equidem Deus, ſed phyſice, non moraliter, non imputabiliter, nec propterea divina decreta pravis deſideriis ſagæ exiſtimes ſubdita, non enim ad id permittendum a voluntate ſagæ Deus movetur, ſed a ſeipſo a ſua ſcilicet vel Providentia vel Juſtitia.

Nec hujusmodi caſus in Eccleſia defuere: Baronius ſiquidem de Simone Mago ex Anaſtaſio Nicæno narrat ſequentia (*g*): *Multos tentantes eum dicere præſtigiatorem, cum eos eſſet allocutus, & inde convivii prætextu bovem ſacrificaſſet, & convivio excepiſſet, variis morbis, & dæmonibus ſubjecit.* Clarius exemplum ex Hieronymo ſupra adduxi, de Virgine ſcilicet, in quam amoris philtro dæmon intruſus eſt. Imo id fieri poſſe ſupponit Eccleſia, ita enim in Rituali Romano jam ſæpe citato exorciſta inſtruitur (*h*): *Jubeat dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, vel inſtrumenta, quæ, ſi obſeſſus ore ſumpſerit, evomat, vel ſi alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur.*

Adducunt denique ex Bodino hiſtoriam, vi cujus Paulus hujus nominis quartus Judæos omnes Roma exules voluit, eoquod ex energumenorum corporibus reſponderint dæmones ſe a Judæis fuiſſe

(*f*) C. 5. (*g*) ad annum Chriſti 68. (*h*) Pag. 319.

fuiſſe intruſos. Differente autem Religioſo quodam, id per hominem fieri non poſſe, mutavit ſententiam, nec Judæos civitate ejecit. Crediderim facile id a Paulo 4to ſtatutum fuiſſe, non tamen ob Religioſi hujus Diſſertationem, ſed quia ſummo Pontifici aliunde conſtabat dæmonem patrem eſſe mendacii, fideque indignum. Finitam hoc modo exiſtimaveram primam partem Diſſertationis meæ, cum ecce! amica manus decretum *Auguſtiſſimæ Imperatricis noſtræ Mariæ Thereſiæ* 5. Novembris anno 1766. emanatum mihi obtulit, quod non parum confirmat Magiæ diabolicæ poſſibilitatem.

Poſtquam enim §. 3. dictum eſt plebem anteactis retro temporibus ob ſimplicitatem ſuam plurima dæmoni tribuiſſe, quæ omnium maxime naturalia ſunt, poſtquam ſimul docetur ſimilia opera, quæ aliquibus mira apparent, vel ex ſimulatione, dolo & fraude, vel etiam ex mania & melancholia, vel alio morbo procedere, poſtquam alii homines adducuntur, qui ſe quidem cum corpore & anima diabolo devovent, absque tamen eo, quod ſimilia mirabilia faciant, jubet §. 4. attendere ad facta, ſi illa vires revera humanas tranſcendant, judicandum eſſe ope dæmonis fieri. Quodſi inferiores Judices revera exiſtiment Magiam veram adeſſe, omnia acta, totumque proceſſum ad Judicem ſuperiorem jubentur devolvere. Qui vero de tali Magia ſuſpectus eſt, interrogari jubetur, quomodo & cujus auxilio ſimilia opera humanis majoris patraverit. Pœnam vero in ſimiles perſonas pacto quodam diabolo obſtrictas ob rei gravitatem *Auguſtiſſima* ſibimetipſi reſervat. Ergo ſupponit ſaltem ſimiles caſus eſſe poſſibiles. Ego vero claudo primam Diſſertationis partem S. Epiphanii verbis prope initium ita loquentis (*i*): *Atque hæc partim ex libris veterum Scriptorum, partim ex auditu hominum, qui menti noſtræ exactam fidem fecerunt, novimus.*

Animad-

(*i*) contra Hæreſ.

Animadverſio.

Cum Art. 6. de lapſu Simonis Magi ſcriberem, authoritate eruditiſſimi Hiſtorici Fleurii nitebar, ſed confecto jam meo opuſculo per accidens in eminentiſſimi Cardinalis Gotti opera incidebam, cujus verba nimium propoſito meo faventia non poſſum non adducere: „De Simonis Magi conatu & præcipiti lapſu „ veteres omnes conveniunt, in circumſtantiis autem diſſident. „ Author Conſtitut. S. Clementis nomine dicit hæc accidiſſe in „ theatro lib. 6. c. 9. ibique Petrum juſſum adeſſe, qui ſeorſim „ orabat Deum, ut Simonis conatum everteret: " *Cumque hæc diceret* (in perſona Petri loquitur) *deſertus a virtutibus Simon cum magno fragore corruit, vehementerque concuſſus fregit coxendicem, & pedum talos &c.* „ Sed ne dicat aliquis libros Conſtit. Clem. apocryphos „ eſſe, accedant alii veteres. Arnobius adverſus Gentiles ſcri- „ bens lib. 2. inter cauſas, ob quas Romanorum multi patriis reli- „ ctis erroribus veritati Chriſtianæ adhæſere, hanc ponit: " *Viderant enim*, inquit, *curſum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Chriſto evanuiſſe. Viderant, inquam, fidentem Diis falſis, & ab iisdem metuentibus proditum pondere præcipitatum ſuo cruribus jacuiſſe præfractis. Poſt deinde perlatum Brundam cruciatibus & pudore defeſſum ex altiſſimi culminis ſe rurſum præcipitaſſe faſtigio.* „ Hæc facta non in angulo, ſed Romæ & tanto ſpectante po- „ pulo, non objeciſſet gentibus Arnobius, ſi explorata non fuiſſent. „ S. Auguſtinus lib. de hæreſ. c. 1. idem confirmans ait: *In qua urbe* (Roma) *Apoſtolus Petrus eum* (Simonem) *vera virtute Dei omnipotentis extinxit.* „ Theodoritus hæret. fabul. lib. 1. c. 1: *Rurſus*, inquit, *Romam veniens divinus Petrus fraudis eum* (Simonem) *pennis nudavit. Qui, cum eum tandem in miraculorum certamen provocaſſet, omnibus Romanis videntibus eum ex magna altitudine deturbavit, cum oraſſet, & qui miraculum viderant, eos cepit ad ſalutem.* „ Idem „ Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 13. ad Lampetium. S. Ambro- „ ſius quoque ſerm. 66. in nat. Apoſt. hoc factum deſcribens ait: *Cum enim idem Simon ſe Chriſtum diceret; & tanquam filium ad Patrem aſſereret volando ſe poſſe conſcendere, atque elatus ſubito magicis artibus*

volare cœpiſſet: tunc Petrus fixis genibus precatus eſt Dominum, & precatione facta vicit magicam levitatem - - - tunc igitur Petrus velut vinctum illum de ſublimi aere depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxa illidens ejus crura confregit, & hoc in opprobrium facti illius, ut, qui paulò ante volare tentaverat, ſubito ambulare non poſſet, & qui pennas aſſumſerat plantas amitteret &c.

„ S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 6. Sulpitius Severus lib. 2. hiſt. ſac. & alii idem narrant ſolum in hoc diverſi, „ quod iſti Simonis lapſum tribuunt Petri & Pauli precibus, quibus „ conſentire videtur Ambroſius ſupra relatus, & Maximus Taurinenſis hom. 5. in nat. Apoſt. qui hanc fuiſſe cauſam, quare ambo martyrium perpeſſi ſint, affirmant; alii vero, ut Arnobius, „ Auguſtinus, & alii triumphum de Simone Mago ſoli Petro tribuunt.

„ Quia vero non in hac ſola circumſtantia diverſimode Simonis lapſus narratur aliquibus volentibus ad ſolius Petri preces, „ aliis etiam ad preces Pauli eveniſſe, ſed etiam in aliis: tum in „ tempore: quidam enim videntur velle Simonis interitum in primo Petri adventu Romam & ſub Claudio contigiſſe, quidam & „ plures in ſecundo adventu & ſub Nerone; tum circa modum lapſus: alii enim volunt Simonem tantum crura fregiſſe, alii toto „ corpore confractum cecidiſſe, alii ad pedes Neronis eum corruiſſe, alii delatum Brundam deſperatione e ſublimi conclavi præcipitem ſe dediſſe, Brundam autem volunt fuiſſe locum quendam „ Romæ ſic dictum: alii de hoc nihil dicunt: alii precibus ſolis „ hanc victoriam reportatam ferunt: alii jejunium adjungunt, ut „ ſtatim dicam. Demum totam hiſtoriam ſuſpectam quidam habent „ ex ſilentio Juſtini, Irenæi, Tertulliani, & Euſebii de illa.

„ Propterea quidam Critici rigidiores maxime ex Proteſtantibus, inter quos Ittigius de hæreſiarchis ſect. 1. c. 2. totam „ narrationem ſuſpectam putant. Verum ſi diverſitas in circumſtantiis, quibus aliquod factum antiquum a diverſis narratur, ſufficit ad reddendum factum illud vel fictum, vel ſaltem ſuſpectum, „ cum in hiſtoriis fere nullum narretur factum, in quo Hiſtorici in „ aliquibus circumſtantiis ut temporis & loci varii non ſint, fieret,

„ ut

„ ut nullum factum quoad ſubſtantiam certum eſſet habendum. Va-
„ rietas ergo hæc in circumſtantiis de lapſu Simonis Magi ad ſum-
„ mum poteſt quidem dubias relinquere circumſtantias, ſed ſub-
„ ſtantiam facti lædere non poteſt. Quodſi contendant adhuc to-
„ tum eſſe commentitium & fictum, liberrime dicam: donec ipſi
„ non afferant claram & invictam probationem de hujus facti falſi-
„ tate, me potius eligere decipi cum Arnobio, Cyrillo Hieroſoly-
„ mitano, Ambroſio, Auguſtino, Theodorito, Iſidoro Peluſiota,
„ & aliis pluribus, quam hos præcipuos veteres Eccleſiæ magiſtros
„ levis credulitatis accuſare, ut cum paucis Recentioribus ſapiam
(*k*).“ Nemo proin & me levitatis accuſet, ſi cum purpurato hoc Patre ejusdem ſim mentis & animi.

Subjungo breviter Criſin Natalis Alexandri Viri certe non nimis creduli (*l*): *Tam illuſtrium teſtium ſuffragiis firmatam veritatem in dubium revocare temerarium eſt.*

(*k*) De verit. Relig. Chriſt. Tract. 6. c. 1. de S. Petro §. 13.
(*l*) Tom. 4. Sæc. 1. Diſſert. 13. propoſ. 1.

PARS II.

De Prodigiis Magorum coram Pharaone patratis.

ARTICULUS I.

Recenſetur iſta Hiſtoria.

Ex his, quæ de Magia diabolica hucusque diſſerui, facile, lector benevole, concludere poteris, cujus quoad Magorum coram Pharaone prodigia mentis ſim atque ſententiæ, nec diu amplius in hac me materia detinebo, utpote quam in antea dictis contentam omnino comprehenſamque perſpicies. Ne tamen omnino jejunum te diſcedere cogam, hiſtoriam in Scriptura relatam enarrabo.

Poſtquam Joſephus Ægypti Pro-Rex pia morte defunctus eſt, & alii Reges ſucceſſive thronum conſcendere Ægyptium, factum eſt, ut beneficiorum a Joſepho perceptorum immemores Iſraeliticum populum nimium quantum affligerent. Inexplicabile dictu eſt, quantis Iſraelitas extenuarint laboribus, quantis cruciarint verberibus, quanto denique perſecuti ſint odio. Has tamen inter moleſtias populi ſui miſeratum Numen illorum uxoribus fœcunditatem omnino ſtupendam largitus eſt. Hæc ſudes erat in oculis Ægyptiorum. Videntes ſiquidem tantam Iſraelitarum ſobolem in magnas pectoris incidere anguſtias: arbitrabantur enim, ſi gens extera ita ſuccreſceret, ſuo tempore & ſceptrum ipſis ablatum iri & regnum. Unde Rex per ſummam imperabat tyrannidem, ut omnes maſculi Hebræorum infantes ſuffocarentur in Nilo, fœmellæ ve-

ro ad Ægyptiorum servarentur delicias. Post multos miseræ servitutis annos evenit, ut futurus populi Salvator nasceretur in lucem. Moses siquidem Amrami & Jochabedæ filius primos in Ægypto natales sortitus est. Mater elegantissima filioli facie delectata tribus eum mensibus omnino abscondit Ægyptiorum furori, quantum poterat, subtractura. Ast illis hoc factum subodorantibus celare amplius infantem non poterat. Crudeli igitur Regis obeditura imperio fiscellam scirpeam contexuit pice ac bitumine oblitam, in eaque tacta dolore cordis intrinsecus & multis lachrymis diffluens miserum ponebat infantem, & ad carectam fluminis ripæ deferebat certo certius interiturum.

Enimvero quis mortalium hujus vitam speraret infantis? in momenta singula minabantur fluctus, ut eum in profundum detruderent. In terra hostili & extera nullus erat, qui vel posset, vel etiam vellet esse subsidio. Israelitæ nequaquam audebant, ne semetipsos in propriæ vitæ discrimen conjicerent, Ægyptii omni tigride ferociores renuebant invisæ genti ferre auxilium. Sed ecce! desperatis jam omnibus adest auxiliator Deus, qui innocentiam premi quidem, non tamen opprimi finit. Contigit, ut ad fluminis ripam Pharaonis filia deambularet lavandi corporis gratia. Hæc (ut Principem regiam vel maxime decebat) puellis nobilibus stipata forte fortuna, seu potius disponente sic Numine fiscellam illam conspexerat. Eventus totius inscia illam ad se deferri mandat. Et en! cum illa referaretur, vagientem in ea pusionem conspicit. Igitur illico decreti regii recordata eum de Hebræis esse cognovit. Concussere Principis animum & ætas tenera, & elegantia formæ. Soror infantis commoto pectore eventum rei expectans accedit ad Principem rogans, an obstetricem fortasse hebraicam adhibere vellet infanti, annuit illa, & ecce! mirabilem Providentiæ divinæ lusum! puella matrem infantis propriam advocat, illi puer & lactandus, & educandus traditur, quo matris gaudio explicari non potest. Jam factus adultior adducitur ad Principem regiam, & ab illa in filium adoptatur.

Ast cum Moses afflictionem populi cerneret, non ferens injuriam Ægyptium quendam, qui Israelitam percusserat, interfecit.

Ne vero cædes innoteſceret Regi, defuncti cadaver abſcondit in ſabulo. Altera die denuo egreſſus ad ſuos duos ex Hebræis rixantes invenit. Indignitate rei commotus utrumque ad concordiam conabatur reducere. Sed omnia in contrarium evenere. Siquidem e rixantibus alter Ægyptii cædem Moſi objecit, quo ille perterritus, præſertim cum & Pharao eandem ob cauſam ipſum pararet occidere, fuga ſibi conſuluit.

Deſerta igitur Ægypto in terram Madian profugit, ductaque ibi uxore Sephora paſcendis gregibus incumbebat. Contigit, ut, cum aliquando Moſes ad interiora deſerti gregem deduceret, illi Dominus in rubo ardente, ſed non conſumto apparere dignatus ſit. Moſes rei inſolentiam (ut par erat) admiratus neſciebat, quid iſta portenderent Sed clara jam voce vocatus a Domino facile intellexit ſe Iſraelitici populi ducem conſtitutum eſſe a Domino. Jubetur igitur cum Aarone fratre ingredi ad Regem Ægypti, eique Domini mandata proponere, ut nempe dimitteret populum ſat diu injuſtiſſime afflictum. Illo cunctante, & inhabilitatem ſuam pro viribus oſtendente ſuam Deus aſſiſtentiam ſat large promiſit: iret tantum, & divinis obſequeretur imperiis non prodigiorum copiam non copioſa miracula eſſe defutura. Et quamvis Pharao omni virium conatu piis petitis reſtiturus eſſet, tamen ultimato fore, ut ipſo Duce e fornace hac ægyptiaca populus dimitteretur. Nec mora: Moſes cum Aarone ad iter accingitur, intrat Ægyptum, ad Regem ingreditur, explicat mandatum Dei Iſrael, ſed inique repellitur. Aſt novis a Deo ſtimulis auctus, & promiſſionibus munitus certiſſimis denuo Regis conſpectum ſubit, Dei mandata repetit, egreſſum ex Ægypto ſolicitat. Pharao veri Numinis inſcius petit, quibus denique ſignis miraculisque miſſionem ſuam eſſe legitimam poſſet oſtendere. Nec mora (ut mandata divina ferebant) Aaron Virgam coram Pharaone projecit, quæ illico in colubrum verſa eſt. Pharao rei novitate attonitus Sapientes & Maleficos convocavit, ut de re iſta ſententiam ferrent. Sed cum & ipſi Virgas ſuas projicerent, eæque in dracones verterentur, obduratum eſt cor Pharaonis, ne dimitteret populum. Jam hæc hiſtoria duo nobis puncta diſcutienda relinquit. Primum, quinam

fuerint

fuerint hi Magi coram Pharaone patrantes iſta prodigia? alterum, an veri fuerint ſerpentes, in quos verſæ ſunt virgæ Magorum? Incipiamus a primo.

ARTICULUS II.

Quinam fuerint hi Magi?

Non multum utilitatis affert hæc quæſtio, utpote quam ne ullis quidem conjecturis poſſemus aſſequi, niſi aliqualem nobis facem prætuliſſet Apoſtolus (*m*). Is enim ad Timotheum ſcribens duos adducit alias nobis incognitos Jannem nempe & Mambrem. Enimvero hi artibus ſuis magicis, fictisque prodigiis tantum potuere, ut prima Moſis miracula eluderentur. Sed cum etiam Sciniphes imitari vellent, nec poſſent, vel inviti confeſſi ſunt (*n*), altioris hoc opus eſſe potentiæ, nec eousque ſe magicas vires extendere. Volunt nonnulli hos fratres fuiſſe & genuinis per Moſem miraculis convictos veritati manus dediſſe (*o*), ac veram Religionem amplexos glorioſos pro illa Martyres occubuiſſe, manibus namque pedibusque præciſis Pharaonis juſſu in patibulo fuiſſe ſuſpenſos, eoquod illos ab Iſraelitis corruptos a ſe alienos crederet. Non tam pie alii de his fratribus ſentiunt (*p*); ſunt enim, qui illos ex Balaamo Patre derivant, eundemque comitatos affirmant, quando vel invitus apud Balacum Moabitarum Regem benedixit Iſraeliticæ genti. Alii autumant ipſos cum Patribus ſuis totoque Ægyptiorum exercitu in mari rubro fuiſſe ſubmerſos.

Nec tamen credendum eſt hos duos tantum coram Pharaone fuiſſe præſentes; ex omnibus enim regni ampliſſimi finibus ejusmodi homines convocavit. Sed cum duo hi fratres præ omnibus aliis in magica arte præcellerent, hos duos præ cæteris Moſi & Aaroni objecit. Verum cum & iſti altiori potentiæ cederent, reliqui, quos

(*m*) 2. Tim. 3. v. 8.
(*n*) Exod. 8. v. 19.
(*o*) apud Calmet. in Dict. Bibl. lit. I.
(*p*) l. c.

quos ad 70000 nonnulli extendunt, victas per ſeſe manus dare coacti ſunt.

Verum quid in hisce diutius immoror, cum ne accenſa quidem lampade in veritatis notitiam devenire poſſimus? tanta inter Scriptores caligo eſt, ut denſiſſimis etiam Ægyptiorum tenebris comparari valeat. Plinius eousque devenit audaciæ (*q*), ut ipſum etiam Moſem Magorum accenſeat numero: *Eſt & alia magices factio*, inquit, *a Moſe & Jamne & Jotape Judæis pendens.* In tanta rerum confuſione nobis ſufficiat diabolicam Magorum potentiam tota Pharaonis aula præſente a Moſe & Aarone ſuperatam fuiſſe.

ARTICULUS III.

An Magi coram Pharaone veros ſerpentes produxerint?

Huic quæſtioni prima Diſſertationis parte ſufficienter præluſum eſt. Adverſarii ſiquidem, cum Magiam diabolicam nequaquam activam eſſe contendant, neceſſario debent dicere non veros ſerpentes a Magis hisce productos fuiſſe. Ego vero, cum artem hanc & ludentem & operantem defenderim, neutiquam ita coarctor, ut neceſſario mihi dicendum ſit veros a Magis ſerpentes productos fuiſſe. Etiamſi in caſu hoc aſtantium oculis illuſum fuiſſet, minime tamen ex hoc poſſet inferri, univerſaliter, quæ ope dæmonis fiunt, meras ſenſuum decipulas eſſe debere.

Præſens difficultatis punctum quod attinet, ingenue fateor nonnullos ex Patribus ſat aperte tueri ſerpentes hos magica arte productos nequaquam veros ſerpentes fuiſſe; ſic enim Author quæſtionum orthodoxarum, quem falſo nonnulli Juſtinum exiſtimant (*r*): *Miracula a Moſe præſtita, ut quæ divina vi & efficacia eſſent edita, per transmutationem naturæ ejus in naturam ejus, quod perficiebatur, ſunt facta; quæ autem incantatores edidere, dæmonum operatione ſunt exhibita oculos ſpectantium præſtigiis decipientium, ut ſerpens, qui non eſſet, tanquam ſerpentem, & qui ſanguis non eſſet, quaſi ſanguinem, & quæ ranæ non eſſent, velut ranas cernerent.* In

(*q*) Lib. 30. c. 1. (*r*) Tom. 2. Bibl. PP. ad quæſt. 26.

In hanc ſententiam concedit & Tertullianus (*s*): *Nec magnum illi* (dæmoni ſcilicet) *exteriores oculos circumſcribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile eſt. Corpora denique videbantur Pharaoni & Ægyptiis magicarum virgarum dracones, ſed Moſis veritas mendacium devoravit.*

Idem defendit & Nyſſenus Gregorius (*t*): *Cum ad inaudita ſigna, miraculaque verſus eſſet Moſes, coramque ipſis Ægyptiis virgam ſuam in colubrum vertiſſet, Pharao, id enim nomen erat Tyranno, Magorum ineptiis fretus magis reſiſtebat. Ii enim virgas ſimiliter ſuas in terram projectas in dracones mutaſſe videbantur, ſed qui ex virga Moyſi vere animatus erat, Magorum virgas re ligna, viſus deceptione dracones facile devoravit.* Omitto Hieronymum, Rupertum Abbatem & alios.

Sed pace mea ſentiant alii, quidquid voluerint, mihi Scriptura eſt potior, quæ eodem prorſus modo de ſerpentibus Moſis, & Magorum draconibus loquitur, audiamus tantummodo textum ſacrum (*u*): *Ingreſſi itaque Moſes & Aaron ad Pharaonem fecerunt, ſicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in colubrum. Vocavit autem Pharao Sapientes & Maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes ægyptiacas & arcana quædam ſimiliter, projeceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones.* Jam quomodo verum eſſet, quod Magi *ſimiliter* fecerint, ſi virga Moſis in verum ſerpentem converſa eſt, nequaquam vero virgæ Magorum? quomodo verum eſt, quod virgæ eorum verſæ ſint in dracones, ſi tantum aſtantium oculis illudebatur? Enimvero, ſi meræ ſenſuum deceptiones fuiſſent, non latuiſſet id Moſem, nec eſt ulla ratione credibile, quod Dei famulus dæmonis non detexiſſet præſtigias, ergo dicendum veros fuiſſe ſerpentes.

Nec etiam noſtræ ſententiæ ſua deeſt, authoritas ſic enim Origenes (*x*): *Efficit ſimiliter & contraria virtus virgam ſerpentem, ſicut fecerat virtus Dei, ſed ſerpens, qui per virtutem Dei factus fuerat, abſorbuit, & devoravit omnes illos ſerpentes, qui arte magica ex virgis verſi fuerant in ſerpentes. Non enim potuit virtus dæmoniaca malum, quod ex bono fecerat, reſtituere in bonum, potuit ex virga facere ſerpentem, virgam vero reddere ex ſerpente non potuit.*

(*s*) Lib. de anima.
(*t*) in vita Moſis.
(*u*) Exod. 7. v. 10. & ſeq.
(*x*) Tom. 1. hom. 12. in Num.

Auguſtinus pluribus in locis meæ adhæret ſententiæ, textum breviorem adducam (*y*): *Et Magi Pharaonis ſimiliter ſerpentes fecerunt, & alia ſimilia.* Dein fuſius probat, quod tamen propterea dæmones non poſſint dici creatores ſerpentum.

Etiam Theodoretus ex profeſſo hanc tuetur ſententiam, cujus textum utpote longiorem adducere nimis operoſum eſt (*z*).

Si quæras, quomodo id potuerit contingere, denuo reſpondeo me ignorare, nihil enim difficilius capio, quam quomodo ſpiritus agat in corpora, imo niſi Scriptura, quin & propria me experientia de veritate convinceret, difficulter præſtarem aſſenſum. Interea certum eſt ſerpentes a dæmone per creationem non fuiſſe productos, creare enim ſoli Deo eſt proprium. Non diſpliceret illorum opinio, qui volunt dæmonem ablatis ſumma celeritate virgis ſerpentes ſubſtituiſſe, ſed tunc non verificatur textus, quod virgæ Magorum verſæ ſint in dracones. Potius igitur dixerim laxatis arcana vi virgarum poris ſemen ſerpentinum ſumma celeritate fuiſſe allatum, & ſic ſerpentes generatos fuiſſe. Hæc ſunt, amice Lector, quæ de ſubtili hac materia differere placuit, ſi amplecti volueris ſyſtema meum, gratulabor mihi: ſi rejeceris, quæſo, in contrarium inſtrue, & docilem me habebis diſcipulum.

Vale.

FINIS.

CON-

(*y*) Tom. 3. lib. 3. de Trinit. c. 7. (*z*) Quæſt. 18. in Exod.

CONCLUSIONES
E
SACRA SCRIPTURA
DEPROMPTÆ.

I.

Sacram Scripturam, quæ quaſi epiſtola eſt Creatoris ad creaturam ſuam aperta ſatis evincunt Momenta, unde ſapientiſſime S. Auguſtinus lib. 12. de Civit. c. 10: *Quanto minus credendum eſt illis litteris, quas plenas fabuloſis velut antiquitatibus proferre voluerunt contra authoritatem notiſſimorum, divinorumque librorum, quæ totum orbem ſibi crediturum eſſe prædixit, & cui totus orbis, ſicut ab ea prædictum eſt, credidit, qua vera ſe narraſſe præterita ex his, quæ futura prænuntiavit, cum tanta veritate complentur, oſtendit.*

II. Ut vero Scriptura ſit Verbum Dei proprie tale, neceſſario requiritur Divina inſpiratio juxta illud 2. Pet. 1: *Non voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu S. inſpirante locuti ſunt Sancti Dei homines*, unde & Apoſtolus 1. Timoth. 3: *Omnis Scriptura Divinitus inſpirata utilis eſt.*

III. Hujus vero Scripturæ Sacræ Verba ſingula: prout ad ſenſus ſubſtantiam faciunt, cenſemus eſſe de fide. *In illa vero canonica eminentia* (inquit Auguſt. lib. 11. contra Fauſtum c. 5.) *ſacrarum litterarum, etiamſi unus Propheta, ſeu Apoſtolus, aut Evangeliſta aliquid in ſuis litteris poſuiſſet, ipſa canonis confirmatione declaratur: non licet dubitare, quia verum ſit, alioquin nulla erit pagina, qua humanæ imperitiæ regatur infirmitas, ſi librorum canonicorum ſaluberrima authoritas aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur.*

IV. Hujus Scripturæ libri tam Proto- quam Deutero- Canonici inviolata fide tanquam Divini recipiendi ſunt, quod dudum agnovit Concilium Toletanum II. ita decernens: *Siquis dixerit vel crediderit alias Scripturas eſſe Canonicas, præter eas, quas Eccleſia Catholica*

tholica recipit, anathema ſit. Quæ veritas poſt Concilii Tridentini definitionem omnino eſt manifeſta.

V. Inter varias Sacræ Scripturæ verſiones præſtantiſſima erat procul dubio illa, quæ dicitur 70. Interpretum, cujus hiſtoria ob unanimem SS. PP. ſententiam quoad ſubſtantiam vera eſſe defenditur, quamvis in aliquibus forſan circumſtantiis fallat: ſane de hac ſequens elogium Auguſtinus concinnavit Tom. 3. lib. 2. de Doct. Chriſt. c. 15: *Latinis quibuslibet emendandis Græci adhibeantur, in quibus 70. Interpretum, quod ad vetus teſtamentum attinet, excellit authoritas.*

VI. E latinis autem verſionibus excellit Vulgata noſtra, quam maximam ſane partem S. debemus Hieronymo Doctori in interpretandis Scripturis Maximo, cui S. Auguſtinus hoc ſcripſit elogium: *Quamvis non defuerit temporibus noſtris Presbyter Hieronymus homo Doctiſſimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, ſed ex Hebræo in Latinum eloquium Scripturas convertit.* Lib. 18. de Civit. c. 43.

VII. Hæc vero Scriptura nequaquam tantæ claritatis eſt, ut ſine ulla difficultate intelligi poſſit a quolibet. *Si enim* (ait Hieronymus de Davide loquens in Epiſt. ad Paulinum de inſtit. Monach.) *tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos & pæne lactentes inſcitiæ nocte circumdari.*

VIII. Primorum quinque librorum, qui nomine Pentateuchi veniunt, Authorem fuiſſe Moſen ex inveterata & Hebræorum & Chriſtianorum traditione deducitur, imo ex ipſius Domini Verbis deſumimus apud Joannem c. 5. v. 45. & 46. ita loquentis: *Eſt, qui accuſat vos, Moſes, in quo ſperatis, ſi enim crederetis Moſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit.*

IX. Ex celeberrimo illo Jacobi morientis Vaticinio Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda & Dux de femore ejus &c.* Contra Judæos invicte oſtendimus Meſſiam jam veniſſe: ita tamen, ut vaticinium hoc de ſola tribu Juda, nequaquam vero etiam de aliis tribubus intelligi poſſe, dicamus apertis convicti ſcripturarum oraculis: *Juda te laudabunt Fratres tui &c.*

X. Terreſtris Paradiſus, e quo Protoparentes noſtri poſt peccatum ejecti ſunt, probabilius amplius non exiſtit: quamvis enim non diffitear nonnullos ex antiquis Patribus in ſententia

fuiſſe

fuiſſe oppoſita, nullus tamen modernis temporibus illos aliter fuiſſe ſenſuros dubito.

XI. Annos vero veterum Patriarcharum, qui ad ſtupendam omnino ſenectutem pervenere, non fuiſſe breviores noſtris aſſerimus ſuffragantibus Sacrarum Scripturarum oraculis; ita ut argumenta omnia ex profana eruditione petita ſint modici roboris.

XII. Noe Gen. 9. inebriatus ab omni culpa omni jure vindicatur: *Ab inexperientia proficiſcebatur hæc paſſio* (ait Theodoretus quæſt. 56. in Gen.) *non ab intemperantia. Nam ille primus ex hominibus compreſſo vitis fructu ignorans non ſolum quantum eſſet bibendum, ſed etiam quomodo ſumendum, nempe quod prius temperari deberet, & ſic potari, incidit in ebrietatem.*

XIII. Melchiſedech, cujus Gen. 14. fit mentio, Chananæus erat, & quidem Rex Hieroſolymæ: verti me (ait Hieronymus Tom. 3. in Epiſt. ad Evagrium) ad Hippolytum, Irenæum Euſebium Cæſareenſem & Emiſenum Apollinarium quoque noſtrum & Euſtathium, qui primus Anthiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus contra Arium clariſſima tuba cecinit & deprehendi horum omnium opiniones diverſis argumentationibus ac diverticulis ad unum computum perveniſſe, ut dicerent Melchiſedech hominem fuiſſe Chananæum Regem urbis Hieroſolymæ, quæ primum Salem poſtea Jebus, ad extremam Jeruſalem apellata ſit.

XIV. Jacobus Gen. 27. dicendo Iſaaco Patri ſe eſſe primogenitum ipſius Eſau mentitus non eſt. Jacob autem (inquit Auguſtinus Tom. 4. lib. contra mendac. c. 10.) quod Matre fecit Authore, ut Patrem fallere videretur, ſi diligenter & fideliter attendatur non eſt mendacium, ſed myſterium.

XV. Abraham ingrediendo ad Agar ancillam non eſt arguendus peccati id fatente Auguſtino, *quod autem attinet rem geſtam, nullo modo eſt inurendum de hac concubina crimen Abrahæ.* Lib. 16. de Civit. c. 25.

XVI. Primus omnium mortalium Abrahamus circumciſus eſt annuente Juſtino Martyr. *Abraham, qui primus circumciſionem carnis accepit*: in Dialog. cum Thryph. Tom. 2. Bibl. PP.

XVII. Quod de Moſe Exod. 2. refertur, quod interfecerit hominem Ægyptium, licite fecit. *Sicut Stephanus dicit in actibus Apoſtolorum* (Auguſtinus ait quæſt. 2. in Exod.) *putabat intel-*

ligere fratres ſuos, quod per eum Deus daret illis ſalutem, ut per hoc teſtimonium videatur Moſes jam divinitus admonitus, quod Scriptura eo loco tacet, hoc audere potuiſſe.

XVIII. Prodigia Magorum corum Rege Pharaone patrata, quorum Exod. 7. fit mentio, non erant vera miracula.

XIX. Hebræi in deſerto in vitulo aureo non adoraverunt verum Deum Exod. 32. uti teſtatur Auguſtinus: *inde & vitulus ille, quem adoravit populus infidelis apoſtata, quærens Deos Egyptiorum dimittens eum, qui liberavit de ſervitute Ægyptiorum.* in Pſal. 73.

XX. Moyſes Exod. 32. ad Deum loquens *aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*, librum æternæ prædeſtinationis intellexit; unde Auguſtinus lib. 20. de Civit. c. 15. *Ipſa ejus præſcientia de illis, quæ falli non poteſt, liber eſt vitæ, in quo ſunt ſcripti, id eſt ante prægogniti.*

XXI. Beatiſſima Virgo a lege purificationis lata Levit. 12. omnino immunis erat, ut copioſi PP. textus evincunt, nempe Baſilius in c. 7. Iſaiæ, Origenes hom. 8. in Levit. Chryſoſtomus hom. de occurſu Domini, Cyrillus lib. 2. de fide ad Reginas, Bernardus ſerm. de purific.

XXII. Authorem libri Joſue ipſum Joſue fuiſſe cenſemus, de ipſo enim Scriptura: *Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini.* Joſ. c. ult. v. 26.

XXIII. Rahab, quæ in L. Joſue exploratores Iſraelitas ſuſcepiſſe ſcribitur, vere fuit meretrix. *Miſit exploratores* (dicit Auguſtinus quæſt. 2. in Joſue) *in Jericho, quoniam Jordane trajecto ipſis proxime civitas occurrebat, illi autem diverterunt ad Rahab mulierem fornicariam.*

XXIV. Statio ſolis c. 10. L. Joſue imperata per Joſuen ſumme fuit miraculoſa: *Hæc ſecundum hiſtoriam geſta* (ſcribit Origenes hom. 11. in Joſ.) *miracula divinæ virtutis univerſis ſæculis prædicant, nec interpretatione extrinſecus indigent, in quibus geſtorum lumen coruſcat.*

XXV. Quod Judic. 11. de filia Jephte refertur, cenſemus illam vere a Patre immolatam fuiſſe, ut qui improſpecte voverat, errorem votorum in filiæ morte ſentiret, ut habet Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum.

XXVI. Samſon licite ſe cum Philiſtæis hoſtibus ruina domus

mus oppreſſit : *Nec Samſon aliter excuſatur* (verba ſunt Auguſtini) *quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſerit, niſi quia ſpiritus latenter id juſſerat, qui per illum miracula faciebat.*

XXVII. Nonnulli ex PP. quamvis de ſalute Heli ſatis loquantur ambigue, tamen ſperari meliora poſſe cenſemus ob maximam illius reſignationem in Divinam voluntatem, quam manifeſtavit dicendo 1. Reg. 3. v. 18. *Dominus eſt, quod bonum eſt, in oculis ſuis faciat.*

XXVIII. Ille ſpiritus, qui 1. Reg. 16. dicitur exagitaſſe Saulem, erat diabolus. *Quod etiam malus appellatus eſt ſpiritus Domini* (verba ſunt Auguſtini) *ſic intelligitur, quomodo dictum eſt, Domini eſt terra tanquam creatura in ejus poteſtate poſita, ſed magis arbitror malignum ſpiritum, a quo vexabatur Saul, dictum ſpiritum Domini, quod occulto Domini Judicio Saulem vexabat.* Lib. 2. ad Simplici. quæſt. 1.

XXIX. David etiamſi ſæpiſſime, & quidem innocens fuerit offenſus a Saule, nunquam tamen licite potuiſſet Saulem occidere, nec contrarium probat Auguſtini Authoritas lib. contra Adimant. c. 17.

XXX. Samuel, qui a Pythoniſſa ad preces Saulis ab inferis revocatus eſt, verus erat Samuel, non ſpectrum diabolicum, ut denuo prætendit Auguſtinus in L. de cura pro mortuis : *Mitti quoque ad vivos aliquos ex mortuis, ſicut e contrario quod Paulus ex vivis in Paradiſum raptus eſt, Divina Scriptura teſtatur, nam Samuel Propheta defunctus vivo Sauli etiam Regi futura prædixit.*

XXXI. Abiſag Sunamitis, cujus L. 3. Reg. c. 1. fit mentio, vera erat Davidis uxor. *Quæ eſt iſta Sunamitis* (interogat Hieronymus Epiſt. 2. ad Nepotian.) *uxor & virgo tam fervens &c.*

XXXII. Naaman Syrus poſtulans ab Eliſæo Licentiam, ut adorante Rege ſuo in templo Remmon poſſet ſuſtentare Regem adorantem, & idipſum faciens non eſt reus criminis idololatriæ, quod ex verbis Eliſæi deſumitur dicentis : *Vade in pace.* 4. Reg. 5.

XXXIII. Somnium Salomonis, quod 2. Paralip. c. 1. refertur, Propheticum fuit ac divinitus immiſſum, quapropter & Auguſtinus L. 12. de Gen. ad litteram c. 15: *Etiam dormiens Salomon ſapientiam præpoſuit omnibus rebus, eamque neglectis cæteris eſt precatus a Domino.*

XXXIV.

XXXIV. Liber Tobiæ canonicus eſt, & conſequenter Divinæ Authoritatis, quod antiquiſſima dudum Concilia & PP. Eccleſiæ agnovere, quamvis de illius canonica Authoritate in primitiva Eccleſia a nonnullis dubitatum ſit.

XXXV. Male vero Archangelus Raphael accuſatur mendacii, dum ſe de filiis Iſrael & tribu Nephtali eſſe dixit, fratrem Gabeli & Azariam Magni Ananiæ filium, quæ omnia in ſano ſenſu veriſſima ſunt.

XXXVI. Liber Judith non tantum canonicus eſt, ſed etiam hiſtoricus, cum antiquiſſimi PP. de illo tanquam hiſtorico diſſerant, ut Clemens Romanus in Epiſt. 1. ad Corinth. Alexandrinus L. 4. ſtromat. Origenes in L. Judith c. 7. & alii.

XXXVII. Deſignare vero tempus, quando iſthæc hiſtoria contigerit, res eſt ſublimioris indaginis, & quamvis cõmunior fere teneat Criticorum ſententia eam temporibus Regis Manaſſis eveniſſe, probabilius tamen ob nimium clara Achioris verba poſt tempora captivitatis Babylonicæ eandem contigiſſe exiſtimo.

XXXVIII. Injuriam vero inferunt Heroinæ huic, qui illam vel temeritatis vel mendacii alicujus arguunt, utpote quæ Divinæ Providentiæ ſpeciale erat inſtrumentum ad ſuperbiam Holofernis puniendam aſſumptum.

XXXIX. Liber Eſther, ubi mirabilis legitur Divinæ luſus Providentiæ in rebus humanis, etiam quoad ultima ſeptem capita, eſt Divinæ Authoritatis, quod poſt Concilii Tridentini definitionem vocare in dubium non præſumerem.

XL. Quisnam vero fuerit Artaxerxes ille Maritus Eſtheris, certi nihil haberi poteſt, inter variantes ſententias ea mihi arridet præ cæteris, quæ Darium Hiſtaſpem illum fuiſſe exiſtimat.

XLI. Librum Job canonicum eſſe nemini dubium eſt? imo præterea oportet aſſerere librum hunc non parabolicum ſed vere hiſtoricum eſſe.

XLII. Quod Job 29. v. 18. in Vulgata exſtat, ſicut palma multiblicabo dies, bene dicitur ſaltem in ordine ad intentionem Jobi, ſi non in ordine ad proprietates linguæ hebraicæ.

XLIII. Quamvis Jobus vir fuerit juſtiſſimus, & ipſius Dei ore commendatus; tamen ab omni omnino labe etiam veniali excuſari vix poterit, imo de illo verbis facile propriis convincitur.

XLIV.

XLIV. Quamvis inter SS. PP. magnum ubique certamen ſit, quisnam Pſalmorum Author ſit, omnes tamen fatentur aliquorum ſine dubio Davidem Authorem eſſe: imo plures aſſerunt Pſalmos omnes eſſe a Davide compoſitos. Unde Theodoretus præfat. in Pſal. *Vincat plurium ſententia, plures enim ſcriptores Davidis eſſe aſſerunt.*

XLV. Nec contrarium evincunt inſcriptiones titulorum, utpote non Authoritate Divina, ſed mere humana peractæ.

XLVI. Liber Sapientiæ Salomonem habet Authorem & inter ſcripturas canonicas jure reputatur.

XLVII. Divina pariter Authoritate gaudet Eccleſiaſtici liber: *Quid enim, ait Scriptura* (interrogat Origenes) *quid ſuperbit terra & cinis?* quæ exſtant Eccl. 10.

XLVIII. Prophetia Danielis eſt ex toto canonica, unde nec hymnus trium puerorum, nec hiſtoria Suſannæ, imo & Beli & Draconis e Canone expungi poſſunt.

XLIX. Nabuchodonoſor (ut refertur Dan. 4.) non fuit vere mutatus in bovem ſed in phreneſin incidit, vi cujus perturbata phantaſia genium moresque bovis aſſumpſit: ita Hieronymus in c. 4. Daniel. *quando autem dicit ſenſum ſibi redditum, oſtendit, non formam amiſiſſe ſed mentem.*

L. Ex celeberrimo Danielis vaticinio de 70 hebdomadibus contra Judæos invicte oſtenditur, Meſſiam veniſſe. Daniel. 9.

LI. Quamvis autem etiam inter Catholicos non ſatis conveniat, a quo tempore hebdomadæ iſtæ inchoari debeant, tamen probabilius exiſtimo tum ex Conjecturis tum ex Chronologia ab anno 7timo Artaxerxis Longimani inchoandas eſſe.

LII. Libri duo Machabæorum Canonici ſunt, & apparentes Antilogiæ ſolide diſſolvi queunt.

EX NOVO TESTAMENTO.

LIII.

Apparens Antilogia de Progenitoribus Chriſti inter Matthæum & Lucam e Julio Africano diſſolvitur dicendo, Jacobum patrem Joſephi naturalem, Heli vero legalem fuiſſe.

LIV. Beatiſſima Virgo emiſit votum caſtitatis, ut deducitur e Luc. 1: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?*

LV. Et quidem perpetuæ Virginitatis votum omnium prima emiſit B. Virgo. *Mihi Virginitas* (ait Hieronymus) *in Maria dedicatur & Chriſto.* In epiſt. ad Euſtoch.

LVI. Ex eo, quod nonnulli in Scripturis dicantur fratres Domini, legitime deduci non poteſt, quod S. Joſeph fuerit viduus, quando deſponſatus eſt Virgini.

LVII. Non obſtante vero perpetuæ Virginitatis voto in Virgine, verum tamen inter illam, & S. Joſephum Matrimonium erat.

LVIII. Quando B. Virgo juxta Evangelium Lucæ viſitabat Cognatam ſuam Eliſabeth, comitem Joſephum non habuit.

LIX. Quamvis Evangeliſtis teſtibus Chriſtum natum eſſe in Bethlehem negare non poſſimus, non tamen intra Civitatis mœnia, ſed in loco non prope diſtante natum eſſe cenſemus.

LX. Nil equidem ex Evangeliis datur intelligi, quod bos & aſinus fuerint ad præſepe Domini, ex Eſaia tamen & Habacuc & longæva traditione iſtud non obſcure colligitur.

LXI. Tres Magi, qui Matthæo teſte ad Domini præſepe venerunt, nequaquam Magiæ diabolicæ navabant operam.

LXII. Hi ipſi tamen, quamvis in ſenſu Scripturæ fuerint Reges, non tamen tales erant in ſenſu vulgari.

LXIII. Baptiſmus Joannis, cujus Matth. c. 3. fit mentio, per ſe & ex natura ſua non habuit vim remittendi peccata.

LXIV. Baptiſmus vero Chriſti, quamvis ante mortem & paſſionem Domini inſtitutus fuerit, non tamen illo tempore inſtitutus eſt, quo Chriſtus a Joanne baptizari voluit.

LXV. Mulier illa, quæ in Evangeliis ſæpius peccatrix dicitur, cum Magdalena jure confunditur;

LXVI. A Maria tamen ſorore Marthæ diſtinguenda eſt.

LXVII. Ille Simeon, cujus memoriam facit Lucas c. 3, qui JEſum infantem in ulnas ſuſcepit, Sacerdos non erat.

LXVIII. Inter pueros ab Herode occiſos Matth. 2. non erat proprius Herodis filius.

LXIX. Caput ultimum Marci inter Scripturas canonicas omnino computari debet.

LXX. Uti & inter illas numerari debet hiſtoria Luc. 22. de ſudore Chriſti ſanguineo, & Angelo ipſum confortante.

LXXI. Nec repudiari debet hiſtoria mulieris adulteræ Joan. 3.

LXXII. Ex verbis Chriſti Joan. 21. ad Petrum: *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* male deducitur Joannem nunquam fuiſſe mortuum.

LXXIII. Cephas, cui Paulus ad Galat. 2. ſe reſtitiſſe dicit in faciem, Petrus erat Princeps Apoſtolorum.

LXXIV. Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. dicens: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* illorum perſtringit errorem, qui putabant homines ſine baptiſmo defunctos juvari poſſe, ſi viventes pro iis baptizentur.

LXXV. Epiſtola ad Hebræos Paulo authore conſcripta eſt, unde & ad Scripturas canonicas pertinet.

LXXVI. Uti & epiſtola S. Jacobi, quam Lutherus prorſus immerito vocat ſtramineam.

LXXVII. Eadem vero ratione ſuſcipienda eſt 2da Petri epiſtola a Petro ſcripta.

LXXVIII. Numerum Scripturarum Canonicarum augent 2da & 3tia epiſtolæ S. Joannis.

LXXIX. Quibus accedit & Epiſtola Judæ.

LXXX. Tantæ Divinæ authoritatis & Liber Apocalypſis ejusdem Apoſtoli ſuſcipienda eſt.

LXXXI. Antichriſtus, cujus in Apocalypſi & apud Apoſtolum 2da ad Theſſal. fit mentio, homo erit ſingularis;

LXXXII. Unde Sectariorum blaſphemia eſt per Antichriſtum deſignari Romanum Pontificem; vero autem Chriſto & Deo Patri ſit

O. H. E. G.